QUAE RATIO
INTER
TERTIAM T. LIVI DECADEM
ET
L. COELI ANTIPATRI HISTORIAS
INTERCEDAT.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE
UNIVERSITATIS WIRCEBURGENSIS
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

JOANNES BAPTISTA STURM
RUEDESHEIMENSIS.



WIRCEBURGI.
TYPOS CURAVIT BECKER.
MDCCCLXXXIII.

GEORGIO FRIDERICO UNGER

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO.

Permulti fuerunt viri docti, qui in fontibus Livianis explorandis versarentur. Ut autem quaestio, quibus ex fontibus Livius in quarta et quinta decade hauserit, praeclarissimis *Nisseni* et *Ungeri* libris (Kritische Unters. über die Quellen der 4. u. 5. Decade des Livius. Berl. 1863; die röm. Quellen des Liv. in der 4. u. 5. Decade. Philolog. S. Bd. III) ad liquidum perducta est, ita de tertiae decadis fontibus homines docti adhuc plane inter se dissentiunt. Nobis enim libros illorum perlegentibus duae potissimum occurrunt sententiae, una Polybium primarium Livi fontem fuisse in libris XXI et XXII, altera Livium in bello Hannibalico narrando aut nihil ex Polybiano opere sumpsisse aut in posteriore demum tertiae decadis parte eo usum esse. Congruunt autem omnium fere in unum sententiae Livium L. Coeli Antipatri historias in usum vocasse. Quibus de causis haud alienum mihi esse videtur, paucis verbis libros sententiasque ab hominibus doctis de fontibus Livianis tertiae decadis prolatas afferre. Praecipue autem quid de Coelio nostro iudicaverint respiciamus.

De fragmentis Coelianis colligendis atque explicandis primi bene meruerunt *Nauta* et *Groen van Prinsterer*: de L. Coelio Antipatro historico belli Pun. secundi in annalibus academiae Lugduno-Batavae 1820—21, qui ex similitudine inter Coeli relliquias et Livi historiam hunc ex illo hausisse concluserunt. In eadem sententia est *Fr. Lachmann*: de fontibus historiarum T. Livi commentatio altera. Goettingae

1828; primarium autem fontem in libris XXI et XXII Polybium esse ille censet. Quem virum doctissimum secuti sunt *Lucas*: disputatio de ratione, qua Livius usus est opere Polybiano. Progr. Glogau 1854; *L. Kieserling*: de rerum Romanarum scriptoribus, quibus T. Livius usus est. diss. Berolini 1858; *Madwig*: emendationes Livianae. alt. ed. 1877 inde a pag. 241; *C. Peter*: Livius und Polybius. Ueber die Quellen des 21. und 22. Buches des Livius. Halle 1863, qui exeunte libro suo veri simile esse dicit praeter Polybium, quem primarium fontem Livianum esse appareat, etiam Coelium in usum esse vocatum; idem sentit *O. Meltzer*: de L. Coelio Antipatro belli Pun. secundi scriptore. diss. Lipsiae 1867. *G. Michael*: de ratione, qua Livius in tertia decade opere Polybiano usus sit. diss. Bonnae 1867 etiam in libris XXIII—XXVII praeter auctorem Romanum (Coelium) saepissime Polybium usurpatum esse a Livio demonstrat; *H. Peter*: Veterum historicorum Romanorum relliquiae. Lipsiae 1870 (p. CCXIII — CCXXXVII et pag. 147—164) sententiam patris sui novis argumentis probare studet; *Vielhaber*: Livianische Studien; im Jahresbericht über das Gymnasium der k. k. Theresianischen Akademie in Wien 1871 u. 1872. *Wölfflin*: 1) Antiochus von Syracus u. Coelius Antipater. Winterthur 1872; 2) Titi Livi ab urbe condita liber XXI. Leipzig 1873, ed. alt. 1880 et liber XXII. L. 1875 argumentis, quae ad genus scribendi, ad artem rhetoricam, ad rerum historiam pertinent, praecipue nixus Livium eas librorum XXI et XXII partes, quae cum narratione Polybiana discrepent, e Coelio sumpsisse contendit; quam sententiam comprobaverunt *A. v. Gutschmid* (Lit. Centralbl. 1872 p. 1133 sqq.) et *M. Büdinger* in Jahrb. über die Fortschritte d. class. Altertumsw. 1873 p. 1188 sqq.; atque *Friedersdorff*: das 26. Buch des Livius, eine Quellenuntersuchung. Progr. Marienburg. 1874 *Wölfflini* vestigia ingressus librum XXVI ex Polybio et Coelio repetitum esse probat; tum *Luterbacher*: de fontibus librorum XXI et XXII Titi Livi. diss. Argentor. 1875 praeter Polybium et Coelium etiam Valerium Antiatem a Livio in usum voca-

tum esse censet; denique *Zielinski*: die letzten Jahre des zweiten pun. Krieges. Ein Beitrag zur Geschichte und Quellenkunde. Leipzig, Teubner 1880 de fontibus libri XXX T. Livi ad eandem qua est *Luterbacher* de l. XXI et XXII sententiam pervenit.

Neque minor eorum est numerus, qui contrariam defenderint sententiam, in his *Niebuhr*: Vorträge über röm. Gesch. herausg. von *Isler* I, 49 et *Schwegler*: Röm. Gesch. I, 110, qui Livium Polybiano opere ante medium bellum Hannibalicum usum esse negant; *K. W. Nitzsch* primum contendit in libro, qui inscribitur: Q. Fabius Pictor; in der allg. Monatsschrift für Wissenschaft und Literatur, Kiel 1854 et Polybium et Livium Q. Fabio Pictore usos esse; tum in *v. Sybels* histor. Zeitschrift XI. 1864 p. 20 quae Livius de priore belli Hann. parte narraverit, in Coelio Antipatro posita esse, Coeliana autem in Sileno; denique illius sententiae retinens Livium in priore tertiae decadis parte e Coelio hausisse, in posteriore autem e Valerio Antiate; cf. die röm. Annalistik. Berl. 1873 p. 21.

Praeter eos *Michael*: In wie weit hat Livius den Polyb als Hauptquelle benutzt? Progr. Torgau 1859 num omnino quidquam Livius in narrando bello Hannibalico e Polybio desumpserit, prorsus in dubium revocat; *Tillmanns*: 1) Disputationis, qua ratione Livius Polybii historiis usus sit, part. I Bonnae 1860, 2) quo libro Livius Polybii historiis uti coeperit. *Jahns* Jahrb. 1861 B. 83 p. 844 cum in primis tertiae decadis libris vestigia Polybiana exstare neget, inde a libro XXIIII illi scriptori Livium multa debere concedit. In eadem sententia est *Nissen* in libro, quem iam supra commemoravimus. Contra *Friedersdorff*: Livius et Polybius, Scipionis rerum scriptores. diss. Goett. 1869 Livium ex Polybio hausisse negans res a Scipione gestas in Livi lib. XXVI—XXX et X—XIV Polybii e communi fonte fluxisse suspicatur. *Böttcher* autem: Krit. Unters. über d. Quellen des Livius im XXI. u. XXII. Buch. V. S. B. d. Jahrb. f. class. Philol. Leipzig 1869 hanc novam sententiam protulit, ut quidquid in libris XXI et XXII

Livius narrat in Coelio positum esse diceret. Quae ita comprobata sunt *A. Schäfero* in *v. Sybels* hist. Zeitschr. XXIII 1870 p. 436 sqq., ut praeter Coelium a Livio etiam Valerium Antiatem in usum vocatum esse putet. Contra *Vollmer*: quaeritur unde belli Pun. secundi scriptores sua hauserint. diss. Gotting. 1872 priorem *Nitzschi* sententiam secutus praeter Coelium, qui raro in usum vocatus sit, et Valerium Antiatem etiam Fabium Pictorem fontem Livii esse contendit. *Keller* vero: der 2. pun. Krieg und seine Quellen. Marburg 1875 ex L. Calpurnio Pisone et Polybii et Livii narrationes desumptas esse censet. *O. Gilbert*: 1) Rom und Karthago, Leipzig 1876, 2) Die Fragmente des L. Coelius Antipater[1]). *Fleckeisens* Jahrb. X Supplementband 1879 Livium in l. XXI et XXII Fabio Pictore, Sileno, Valerio Antiate usum esse dicit. Contra *Heydenreich*: Fabius Pictor und Livius. Ein Beitrag zur röm. Quellenforschung, Freiberg 1878 Livium ex Fabio hausisse veri simile non esse putat. *Kessler*: secundum quos auctores Livius res a Scipione maiore in Africa gestas narraverit. diss. Kiliae 1877 p. 14 Livium cum alias posteriorum decadis III librorum partes, quae cum Polybio consentiunt, tum maxime res in Africa gestas non ex communi quodam cum Polybio fonte (quod quidem coniecit *Friedersdorff*: Livius u. Polybius) hausisse contendit, sed ex Romano quodam auctore (Coelio), qui quidem ipse Polybium secutus esset ducem; praeter Coelium autem etiam Valerium Antiatem in usum esse vocatum. *G. Egelhaaf*: Vergleichung der Berichte des Polybios und Livius über den ital. Krieg der Jahre 218—217 bis zur Schlacht am Trasimener See. Jahrb. f. class. Phil. X. S. Bd. 1879—80 Polybium non fuisse primarium Livii fontem in l. XXI et XXII censet. Denique *O. Hirschfeld*: Hat Livius im 21. u. 22. Buch den Polyb. benutzt? Zeitschr. f. d. östr. G. XXVIII. 11. Heft

---

[1]) quo in libro ille, etiamsi ad alium atque ego delatus est exitum cf. p. 452, tamen nonnullis locis probandis mihi praevenit. itaque necessario fiet, ut nonnunquam eisdem quibus *Gilbert* argumentis utar.

p. 801—811 Livium epitomen Bruti ex Polybio factam usurpasse vult.

Praeterea complures sunt hoc loco afferendi, qui nonnullas Livii partes ex Coelio haustas esse demonstrant; in quibus *Hesselbarth*: de pugna Cannensi. Gottingae 1874 Livium in pugna Cannensi describenda duces et Coelium et Valerium Antiatem secutum esse probat; *Seeck*: der Bericht des Livius über den Winter 218/17 v. Chr. Hermes VIII p. 154 sqq. *Th. Friedrich* autem: Biographie des Barkiden Mago. Wien 1880 ea, quae in capite 46 libri XXVIII de Magone, Hamilcaris filio, narrentur, ex Coelio manasse dicit, quae in libro XXX, ex Valerio Antiate. Denique *Sieglin*: die Fragmente des L. Coelius Antipater. Jahrb. f. class. Philol. XI. S. Bd. 1. H. quid de ratione, quae inter Polybium et Livium intercedat, iudicet nondum protulit, Livium autem ex Coelio hausisse contendit; ceterum hoc potissimum efficere studet Coelium Antipatrum praeter secundi belli Pun. historias alterum etiam opus conscripsisse (haec erat iam *Meursii* et *Pluessii* coniectura).

Ex Coelio alios etiam scriptores hausisse hi auctore *Böttchero* voluerunt: *Soltau*: de fontibus Plutarchi in secundo bello Pun. enarrando. diss. Bonnae 1870, qui ex Coelio vitam Fabii et v. Marcelli c. 2—7 fluxisse probare studet; *Buchholz*: Untersuchungen über die Quellen des Appian und Dio Cassius für die Geschichte des 2. pun. Krieges. Pyritz 1872; *Heynacher*: über die Quellen des Silius Italicus. Diss. Ilfeld 1874; *Posner*: quibus auctoribus in bello Hann. enarrando usus sit Dio Cassius. diss. Bonnae 1874.

Commemoratis igitur omnibus, quos novimus de fontibus tertiae Livianae decadis, libris ordiamur si placet ab ipsa inquisitione. Ac nobis num alter scriptor ex altero hauserit quaerentibus id potissimum respiciendum est, ut ea omnia, quae uterque de eadem re memoriae prodidit, accuratissime componantur. Quare in libello nostro praecipue ex fragm. Coelianis cum Livii narratione comparatis argumenta hauriemus suoque loco eorum doctorum, qui ex aliis causis Livium Coelio usum

esse fonte volunt, sententias refellere studebimus. Sic enim statuimus et iudicamus a T. Livio in bello Hann. narrando (vel in tertia decade) L. Coelium Antipatrum non adhibitum esse auctorem.

Nobis autem scriptores nostros diligentissime comparantibus tria Coelii fragmentorum genera occurrunt, quorum unum ab eis, quae Livius de eadem re gesta memoriae prodidit, discrepat, aliud cum narratione Liviana consentit, tertium non exstat apud Livium.

Ac primum quidem de Coelianis illis fragmentis, quae a Livio abhorrent, disputemus.

Fragm. 9 *(Peter)*: Non. s. v. dedicare p. 280 Caelius in annalium libro primo: Legati quo missi sunt veniunt, dedicant mandata.

Quae verba *Nauta* (p. 24) aliique referunt ad illos legatos ad Hannibalem exposcendum aut si hoc non impetrarent, ad bellum indicendum a Romanis Carthaginem missos, coll. Liv. XXI, 18, 3 verbis: nihil ultra quam unum, quod mandatum erat, percunctatus esset. Sed tantum abest, ut ex uno verbo „mandatum“ certi quidquam effici possit, ut contra Coelium cum Livio dissentire hoc ipso liceat confirmare. Nam Coelius scribit mandata (ergo complura), Livius diserte: unum, quod mandatum erat. Accedit quod Titus in § 2 de uno mandato (de bello indicendo, non de Hannibale exposcendo) dicit: legati, si publico consilio Hannibal Saguntum oppugnasset, indicerent populo Carthaginiensi bellum. Quare *O. Gilbert*: Die Fr. p. 408 ad legationem Fabii a Polybio III, 20. 6 sqq. narratam recte hoc fr. rettulit.

Fragm. 11. Livius in XXI, 22. 6 somnium Hannibalis narrat, cuius etiam Cicero de div. I, 24, 49 mentionem facit. Atque Ciceronem ibi non ex Sileno, sed ex Coelio Antipatro hausisse *Wölfflin*: Antiochus p. 25 demonstravit. Cum autem inter duas narrationes magnus esset consensus, Livium in somnio Hannibalis describendo ducem secutum esse Coelium apparere. Illa est sententia omnium fere

doctorum hominum. Videamus igitur, quomodo se res habeat.

Primum contemplemur, quid in universum narrationes illae contineant, deinde singula verba. Livius narrat ad Hannibalem iuvenem divina specie venisse et ab Jove ducem in Italiam illi se missum esse dixisse. Quid autem apud Coelium scriptum est? Secundum hunc auctorem Hannibal a Jove in deorum concilium vocatur et Italiae bellum inferre iubetur; tum demum Poeno unus e concilio dux datur. Manifestum est has esse diversissimas narrationes et *Posner*, qui (p. 19) Livium haec Coeliana: „Hannibalem in deorum concilium vocatum esse" omisisse censet, errasse mihi videtur; nam Livius hoc non omisit, sed pro fama Coeliana aliam praebet, cum a Jove iussum statim iuvenem ad Hannibalem venisse dicit.

Atque si Coelii verba accuratius consideraverimus, bellum nondum inceptum esse inveniemus, cum Hannibal Italiae bellum inferre in deorum contione iubeatur. Tum demum dis praesentibus a Jove ei imperatur, ut contra Romanos bellum gerat. Deorum igitur voluntate et iussu Poenus arma Italiae infert. Hanc esse narrationem Punicam, quis est qui neget? Contra ex Livio bellum iam indictum et inceptum esse facile intellegitur; nam statim dux ad viam in Italiam monstrandam Hannibali mittitur. Habemus igitur auctorem, qui cum Romanis facit.

Neque in eis, quae de monstro memorant, scriptores nostri consentiunt. Livius enim u n u m s e r p e n t e m mira magnitudine fuisse refert, Coelius beluam vastam et immanem circumplicatam s e r p e n t i b u s.

Accedit, quod Livius aliquid memoriae prodit, quod frustra apud Coelium quaeres; nam ille in § 8 dicit: ac post insequi cum fragore caeli nimbum. — Quibus cum Livii verbis mirum in modum congruunt ea, quae sequuntur; nam „molem" in § 9 ad serpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum strage, „prodigium" ad nimbum referendum esse satis apparet. Item Coelianum: „tale monstrum" respondet beluae vastae.

Praeterea a Livio exercitus non commemoratur, cuius Coelius mentionem facit, cum dicit: quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse.

Denique extrema verba prorsus sunt diversa. Namque illa Livii: „nec ultra inquireret sineretque fata in occulto esse“ universe exprimunt: Hannibal ne ultra interrogaret, quid futuro tempore accideret; Coeliana autem: „quid retro atque a tergo fieret ne laboraret“ singillatim ad antecedentia, ad Italiae vastitatem, spectant.

Etiam de loco et tempore Livius multo accuratius tradit quam Coelius. Nam cum hic summatim dicat: „cum cepisset Saguntum“, Livius urbem, prope quam Poenus somniaverat, memoriae prodit: Hannibal (XXI, 21. 1) Sagunto capto Carthaginem novam in hiberna concesserat. Atque inde (22. 5) profectus praeter Onussam urbem ad Hiberum ducit. ibi fama est cet.

Ad hoc *Wölfflin* (Antiochus) ex Coelianis verbis: „cum cepisset Saguntum“ colligendum esse censet Coelium transtulisse somnium in illud tempus, quod statim Sagunti excidium secutum sit. Quodsi recte concluditur, eo graviorem habemus causam, cur prohibeamur, quominus Coelium illo loco fontem Livii esse statuamus. Attamen illud ad sententiam nostram confirmandam minoris momenti esse nobis videtur. *Posner* enim (p. 22) Ciceronem illis verbis etiam id tempus complecti potuisse censet, quo Hannibal Sagunto compluribus mensibus ante capto iam ad Iberum pervenerat. Sed ut illa sententia recta sit — et profecto probabilis videtur — tamen aliae, quas iam attulimus, discrepantiae tolli non possunt.

Neque solum in rebus, sed in verbis etiam scriptores nostri prorsus inter se discrepant. Nam praeter verba „virgulta“, quod Coelius praebet (Liv.: virgultorum) et „vastitatem Italiae“, e quibus quidquam efficere nemini licet, nullum apud Livium reperitur, quod cum Coelio consentit.

Pro „in somnis“ Livius „in quiete“ scribit; apud Livium dux Hannibalem sequi iubet: „proinde sequeretur“,

non apud Coelium, sed verba: „quo illum utentem progredi coepisse"; pro „tum ei ducem illum praecepisse ne respiceret" Livius: neque usquam a se deflecteret oculos; Liviana verba „pavidum primo nusquam circumspicientem aut respicientem secutum" apud Coelium non reperiuntur; pro „illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse" Livius copiose dicit: „deinde cura ingenii humani, cum, quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo, temperare oculis nequivisse"; pro „tum visam beluam vastam et immanem circumplicatam serpentibus quacunque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere" Livius brevius: „tum vidisse post sese serpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri"; tecta apud Livium frustra quaeres.

Reliqua iam supra commemoravimus. Videmus igitur omnia fere Coeliana verba apud Livium expleta esse aliis, satisque ex omnibus his causis intellegi potest Livium in somnio Hannibalis enarrando ex Coelio non hausisse.

Somnium illud praeter Livium, Coelium-Ciceronem aliosque etiam Zonaras VIII, 22 narrat, qui Dionem exscripsit. Qua re haud ineptum esse mihi videtur Zonarae narrationem cum Livio et Coelio comparare, praesertim cum *Posner* p. 18 sqq. Coelium hoc loco fontem Dionis esse velit. Atque ineunte quidem narratione Coelius et Dio conspirant narrantes Hannibalem in deorum concilium vocatum esse: Ἀννίβᾳ ἔδοξέ ποτε τοὺς θεοὺς ἐν ἐκκλησίᾳ καθημένους μεταπέμψασθαί τε αὐτὸν καὶ στρατεῦσαι ὅτι τάχιστα εἰς τὴν Ἰταλίαν προστάξαι καὶ λαβεῖν παρ' αὐτῶν τῆς ὁδοῦ ἡγεμόνα.

Discrepantiae autem hae sunt: Primum Coelius nihil tradit de nimbo, Dio: καὶ ἰδεῖν χειμῶνα μέγαν χωροῦντα; deinde apud Coelium beluam vastam et immanem circumplicatam serpentibus reperimus, apud Dionem (et Livium) δράκοντα ἀμήχανον (serpentem mira magnitudine). Neque tamen Dio et Livius in monstri ac tempestatis descriptione

consentiunt, ut *Posner* vult; nam Livius primum serpentem, deinde nimbum commemorat, contra Dio dicit: καὶ ἰδεῖν χειμῶνα μέγαν χωροῦντα καὶ δράκοντα αὐτῷ ἐπακολουθοῦντα ἀμήχανον. Praeterea Livius damnum a serpente allatum describit, Dio nil nisi draconem Hannibalem secutum esse prodit. Omnes igitur tres narrationes in hac re dissentiunt.

Denique extrema Coelianae narrationis pars a Dione prorsus abhorret. Namque apud Coelium deus quodnam illud esset tale monstrum interrogatus respondet: vastitatem esse Italiae, apud Dionem: ὦ Ἀννίβα, ταῦτα συμπορθήσοντά σοι τὴν Ἰταλίαν ἔρχεται. Quam discrepantiam *Posner* (p. 19) diluere studet, cum Dionem haec de suo addidisse dicit. Sed cur Dio, sin aliter aptissimum responsum apud auctorem suum (Coelium) legit, operam dedit, ut de suo ineptissimum adderet? cf. *Unger* in censura *Posneri* libelli. (Philol. Anz. VIII p. 554).

Tres igitur sunt causae, quibus commovemur, ut Coelium a Dione in somnio enarrando usurpatum esse negemus. Nihilo magis autem Livius, ut vidimus, Dionis fons esse potest.

Venimus nunc ad quaestionem, quis Livii auctor fuerit. Qua in re haec potissimum sententia tuenda est somnium illud e narratione eorum scriptorum emanasse, qui Hannibalis castra secuti sunt[1]). Probabilis igitur est sententia *Gilberti* in libro: Rom und Karthago (p. 188), qui censet Coelium, Livium, Dionem ex uno fonte, Sileno, hausisse; illas autem discrepantias ex propria utendi ratione esse profectas. Contra *Böttcher* (p. 375) Silenum a Livio in usum vocatum esse negat neque firmis argumentis demonstrat.

Sed utcunque se res habet, illa *Vollmeri* sententia falsa est, qui (p. 36) ex verbis „fama est" Livium in somnio enarrando famam secutum esse conclusit. Nam haec verba, ut mihi quidem videntur, non indicant Livium illud som-

---

[1]) Nova ac mira *Sieglini* coniectura est, cum (p. 68) hanc fabulam post secundum bellum Punicum exortam esse dicit.

nium auditu accepisse, sed certo debere auctori, ut etiam ex loco Liv. II, 32. 3 cognosci potest: ea frequentior fama est, quam cuius Piso auctor est.

Fragm. 12 Charis. II p. 183 P. 203 K. Coelius historiarum I: Sempronius Lilybaeo celocem in Africam mittit, visere locum, ubi exercitum exponeret.

Quod fr. multi docti ad narrationem Livianam XXI, 17 referri volunt. Perlustremus igitur hunc locum. Livius postquam ineunte capite 17 Cornelio Hispaniam, Sempronio Africam cum Sicilia provincias sorte evenisse narravit copiasque contra Carthaginienses pugnaturas enumeravit, in § 5 ita pergit: Inter consules ita copiae divisae: Sempronio datae legiones duae et sociorum sedecim milia peditum, equites mille octingenti, naves longae centum sexaginta, celoces duodecim. cum his terrestribus maritimisque copiis Ti. Sempronius missus in Siciliam, ita in Africam transmissurus, si ad arcendum Italia Poenum consul alter satis esset. — Primum diligentius nobis comparantibus haec verba cum Coelio statim intellegendum est Sempronium ea condicione, ut ad arcendum Italia Poenum consul alter satis esset, in Africam transmittere iussum esse. Sempronius igitur praecipue in Siciliam, quippe quae a Carthaginiensium incursionibus tuta non sit (cf. c. 49. 2 et 51. 2, 3), mittitur.

Deinde ex Coeliano fr. satis apparet Sempronium iam in Sicilia (Lilybaei) fuisse, unde celocem in Africam misit; secundum Livium (c. 17) autem Romanorum dux nondum in Sicilia commoratur, sed tum demum eo proficisci iubetur. Denique ex eo, quod in § 5 celocium mentio fit, hoc loco Livium ex Coelio hausisse colligi non potest. Namque Livius etiam XXXVII, 27. 4 celocium mentionem facit. Praeterea manifestum est navibus longis, si quis Romanorum dux ad insulam defendendam missus erat, etiam celoces additas esse.

Sed dixerit fortasse quispiam fr. illud ad res a Sempronio circa Siciliam gestas, quas Livius inde a capite 49—51 narrat, referendum esse. Contemplemur igitur

Livianam narrationem. Ti. Sempronius cum Messanam venisset (50. 7) seque cum rege Hierone coniunxisset (8 sqq.), paulo post Lilybaeum classe petiit (11). Deinde in insulam Melitam, quae a Carthaginiensibus tenebatur, traiecit (51. 1) eamque expugnavit (2). Quo facto ad insulas Vulcani, quia fama erat stare ibi Punicam classem, transmisit; nec quisquam hostium circa eas insulas inventus (3). Repetenti Siciliam consuli litterae ab senatu de transitu in Italiam Hannibalis, et ut primo quoque tempore conlegae ferret auxilium missae traduntur (5). Quapropter Siciliae res composuit (6) et decem navibus oram Italiae legens Ariminum pervenit. inde cum exercitu suo profectus ad Trebiam flumen conlegae coniungitur (7).

Videmus nullo loco Livi Sempronium in Africam transmittere in animo habuisse neque omnino habere potuisse, quia Carthaginienses Siciliam et ipsam Italiam (51. 4) aggrediebantur; secundum famam Coelianam autem Sempronius celocem in Africam misit, visere **iam** locum, ubi exercitum exponeret. Atque haec narratio Liviana cum capite 17 prorsus consentit. Nam in hoc capite Ti. Sempronius in Siciliam missus est, ita in Africam transmissurus, si ad arcendum cet; cum autem Scipio ad Hannibali resistendum non satis fuisset ob eamque causam senatus Sempronium ex Sicilia revocasset, iussum in Africam transmittendi ad irritum recidit.

Fragm. 14: Ineunte cap. 38 l. XXI Livius de Hannibalis in Italiam adventu mentionem facit et postquam quantae copiae transgresso in Italiam Hannibali fuerint, discrepantias protulit, in § 5 ita pergit: Taurini Semigalli proxuma gens erat in Italiam degresso. id cum inter omnes constet, eo magis miror ambigi, quanam Alpis transierit, et vulgo credere Poenino transgressum, Coelium per Cremonis iugum dicere transisse; qui ambo saltus eum non in Taurinos sed per Salassos Montanos ad Libuos Gallos deduxissent. nec veri simile est ea tum ad Galliam patuisse itinera.

Perspicuum est Livium hoc loco Coelii sententiam non probasse, primum quod censet Hannibalem, si Cremonis iugum transiiset, non in Taurinos sed per Salassos Montanos ad Libuos Gallos venisse, deinde quod veri simile non esse putat ea tum ad Galliam patuisse itinera. Atque ipse Poenum primum ad Taurinos venisse (38. 5) contra aliorum scriptorum sententiam dilucidis verbis dicit neque usquam ab hac fama abhorret. Namque in sequenti cap. 39. 5 Hannibal Taurinorum unam urbem, caput gentis eius, quia volens in amicitiam non veniebat, vi expugnat, tum demum ex Taurinis movet (6); praecipue autem cf. Peropportune ad principia rerum Taurinis adversus Insubres motum bellum erat (39. 1).

Quodsi secundum narrationem Livianam Poeni primum ad Taurinos venerunt, ut Livius eos per Cremonis iugum transeuntes faceret fieri nullo modo poterat; namque Cremonis iugum ad illam gentem non deducit. Quem saltum autem Livius intellexerit, reperiemus, si iter ab Hannibale factum persecuti erimus. Poenus cum adversa ripa Rhodani profectus mediterranea Galliae petiisset (31. 2), quartis castris ad Insulam pervenit (4). ibi regni certaminibus sedatis (6 sqq.) non recta regione iter instituit, sed ad laevam in Tricastinos flexit; inde per extremam oram Vocontiorum agri tendit in Tricorios, priusquam ad Druentiam flumen pervenit (9). Deinde flumen transgressus (12) campestri maxime itinere ad Alpis pervenit (32. 6). Quas quidem Alpes Cottias fuisse iam *Fr. Lachmann* (p. 38) intellexit: Locorum nomina et populos in illo itinere commemoratos Livius ab eis accepit, qui Hannibalem per Alpes Cottias duxisse putabant. Livius igitur Poenum per Alpes Cottias transeuntem facit, Coelius per Cremonis iugum. Et quamquam non satis certum est, ubi Cremonis iugum (fortasse: Cramont) situm sit, tamen recte regionem, unde Hannibal in Italiam venerit, cogitatione saepire possumus. Nam cum hic saltus ad Salassos deducat, Salassi autem Italiae partem inter septentriones et occasum solis spectantem incolant, fieri non potuit quin Poenus a regione inter septentriones

et occasum solis spectante in Italiam descenderet. Contra Alpis Cottia ab occidente in Italiam deducit. Itaque optimo iure nobis statuendum est Coelium neque in Hannibalis itinere ab Insula usque ad Italiam descripto neque in priore capitis 39 parte Livii fontem fuisse.

Ad extremum commemorabo *Wölfflinum* et aliis rebus et Ammiani XV, 10, 10 sqq. narratione nixum affirmasse Livium in Hannibalis per Alpes itinere descripto ex Coelio hausisse. Nam Ammiani verba, ut ait ille, cum Livio prorsus consentiunt, illam Ammiani autem famam esse fragmentum epitomes a M. Bruto factae ex Coelio veri simile est. Sed res aliter se habet. Namque *V. Gardthausen*: über die geographischen Quellen des Ammian. Jahrb. f. class. Phil. VI. S. Bd. demonstravit et Ammianum Coeliumque aperte pugnare et illum (Ammianum) librum geographicum ex Livio aliisque rerum scriptoribus compositum adhibuisse fontem.

Fragm. 17. Exeunte cap. 46 l. XXI Coelius servati consulis (in pugna Ticinensi) decus ad servum natione Ligurem delegat. Cui repugnat narratio Liviana: Cum iam magna ex parte ad pedes pugna venisset (46. 6) et Numidae, qui in cornibus erant, circumvecti paulum ab tergo se ostendissent, is pavor perculit Romanos, auxitque pavorem consulis vulnus periculumque intercursu tum primum pubescentis filii propulsatum. (7) Deinde laudatio filii his verbis sequitur: Hic erit iuvenis, penes quem perfecti huiusce belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Hannibale Poenisque appellatus. Postremo equitatus consulem in medium acceptum non armis modo sed etiam corporibus suis protegens in castra reduxit. Nusquam servi Ligustini mentio fit. Atque Livio sententiam Coelianam minus probatam esse ex iis quoque verbis, quae Coelii narrationi addidit, satis apparet: malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, et fama obtinuit. Quo ex loco *Böttcher* (p. 397) concludendum esse censet Livium omnium rerum scriptorum, qui de hac re memoriae prodiderunt, Coelium certissimum

esse putasse; itaque Livium facere non potuisse, quin illius sententiae (wenn auch mit schwerem Herzen, ut ait ille) maximam haberet fidem. Sed si ita se res haberet, certe Livius, ut iam *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 430 attulit, pro coniunctivo praesentis „malim“ imperfectum „mallem“ (ich hätte lieber gewollt) dixisset. Ex usu autem coni. potentialis (der Potentialis der Gegenwart zum Ausdrucke einer bescheidenen Behauptung, *Englmann* lat. Gramm. 10. Aufl. § 302) „malim“ pro „malo“ positum esse apparet; cf. velim, nolim, quis dubitet etc.

Accedit quod Titus duas causas, cur suae famae maiorem fidem habeat quam Coelii, memorat, primum quod plures auctores tradiderunt, deinde quod fama obtinuit. Verba Liviana igitur ita explicanda esse mihi videntur: At ego meam narrationem praefero, cum et apud plures auctores scripta sit et per omnium ora feratur. Praeterea haud scio an patriae quasi quodam amore, quominus Coelii sententiam probaret, Livius sit prohibitus.

Neque minus recta esse existimo, quae sentit *Posner* de hoc loco. Qui cum Cassium Dionem ex Coelio hausisse velit, ille autem quattuor locis Scipionem a filio servatum esse memoriae prodat, duas, ne pugnantia dicat, coniecturas protulit (p. 59) aut Coelium primum de Ligure servo exposuisse, tum autem fortasse de hac ipsa re elegantissime dubitasse — non aliter fortasse atque Livium: malim equidem sqq. — aut hanc de servo narrationem per errorem Livium Coelio attribuisse. Ad haec confirmanda *Posner* attulit haec argumenta: se vix credere posse Coelium Africani quam maxime ab ipso laudati huic gloriae obtrectasse, quod eo minus credibile esse putaret, quod Laelio, familiarissimo Scipionum amico, librum suum dedicasset, Laelio, qui huic maioris Africani facto summam attribuisset vim Polybioque, ut scriberet, illud narravisset (Pol. X, 3. 2—4). Se *(Posnero)* quidem iudice Coelium ad hunc virum non ita scribere potuisse, ut ex Livii verbis effici videretur. — At non intellego causam, cur Coelius certe fidis scriptoribus nixus sententiam Laelio contrariam proferre non po-

tuerit. Deinde manifestum est Livium, si apud Coelium duplicem de consule servato narrationem repperisset, hoc non fugiturum fuisse neque dilucidis verbis dicere potuisse Coelium servati consulis decus ad servum natione Ligurem delegasse.

De altera coniectura *Posner* dicit Livium hoc loco memoria lapsum Coelium posuisse pro Valerio Antiate, cuius e fragmentis saepius malignitas quaedam in Scipiones appareat. Sed praeterquam quod Valerium Antiatem malignum fuisse in Scipiones *Unger* in censura *Posneri* dissertationis (p. 555) refutavit, coniectura illa plus quam audax esse mihi videtur.

Fragm. 18. Etiam proximum caput 47 ad negandum Livium ex Coelio hausisse nobis praebet ansam. Scriptor noster ineunte hoc cap. Romanos, cum post pugnam Ticinensem Padum transiissent, pontem ne Poenus statim sequi posset rescidisse narrat (47, 2, 3). Deinde mira atque insolens narr. Coel., quo modo Hannibal copias Pado traiecerit sequitur his verbis: Coelius auctor est Magonem cum equitatu et Hispanis peditibus flumen extemplo tranasse, ipsum Hannibalem per superiora Padi vada exercitum traduxisse elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis. Sed sub haec verba Livius in § 5 statim Coeliana illa veri simillimis refellit argumentis: ea peritis amnis eius vix fidem fecerint: nam neque equites armis equisque salvis tantam vim fluminis superasse veri simile est, ut iam Hispanos omnes inflati travexerint utres, et multorum dierum circuitu Padi vada petenda fuerunt, qua exercitus gravis impedimentis traduci posset. Livio autem eo maior fides est habenda, quod in illis regionibus natus horum locorum peritissimus fuit. Et sane Titus, quae aliis scriptoribus debet, prorsus a Coelio abhorrentia in § 6 commemorat: Potiores apud me auctores sunt, qui biduo vix locum rate iungendo flumini inventum tradunt: ea cum Magone equites et Hispanorum expeditos praemissos. dum Hannibal, circa flumen legationibus Gallorum audiendis moratus, traicit gravius peditum agmen, interim Mago

equitesque Placentiam contendunt. — Pedites vero eodem quo Mago ponte Padum traiecisse ex verborum contextu satis apparet. Habemus igitur narrationem cuiuspiam ex potioribus, quos Livius supra commemoravit, auctoribus.

Atque hoc loco mihi liceat paucis commemorare verbis *Wölfflinum* in editione l. XXI p. 52 ex eo, quod ratio Hispanorum Rhodanum traicientium eadem fuerit, quam Livius secundum Coelium in 47. 5 (ut iam Hispanos omnes inflati travexerint utres) narraverit, conclusisse Livianam narrationem: „Hispani sine ulla mole in utris vestimentis coniectis ipsi caetris superpositis incubantes flumen tranavere (XXI, 27. 5)“ veri similiter ex Coelio manasse. Verumtamen non habemus, quod hanc sententiam sine dubitatione sumamus. Illa enim flumen transeundi ratio nequaquam inusitata, verum etiam crebra fuit, ut apparet ex Curtio VII, 21. 8: quibus (utribus) incubantes tranavere amnem, et ex Caes. bell. civ. I, 48. 7: Lusitani — quibus erat proclive tranare flumen, quod consuetudo eorum omnium est, ut sine utribus ad exercitum non eant. Cur igitur Livium eam quae crebro accidit rem ex ipso Coelio hausisse statuere cogamur? Illum ex alio auctore sua sumpsisse nonne eodem iure nobis licet concludere? Namque credo tum demum, cum duo scriptores in aliqua aut inusitata aut falsa fictaque re consentiunt, pro certo nos affirmare posse aut alterum ex altero hausisse aut utrumque usum esse eodem fonte.

Denique quae ratio hoc loco inter Livium et Polybium, qui multis rebus inter se congruunt, intercedat, quis utriusque auctor fuerit, haec aliena sunt a disputatione nostra. Quibus de rebus *O. Gilbert* in libro: die Fragm. p. 431 sqq. copiose disseruit.

Fragm. 20. Cic. de div. I, 35. 77 complurium prodigiorum secundum Coelium mentionem fecit. Sed Coeliana illa neque in rebus neque in verbis cum Livio (XXII, 3. 11 sqq.) consentiunt.

Jam de loco, quo prodigia acciderunt, scriptores nostri inter se discrepant. Nam cum Flaminius secundum

Coelium Arrétium versus signa moverit, Livius consulem Arretio proficisci in animo habuisse narrat. Ut enim ex cap. 63 l. XXI apparet, Flaminius Ariminum se contulit, inde exercitum per Apennini tramites in Etruriam duxit (63. 15), tum Arretii moratus est (XXII, 2. 1; 3. 1), denique signum proficiscendi Arretio dedit (3. 10, 11).

Unde autem consul secundum Coelium abierit, Coelius-Cicero non commemorat neque facile certi quidquam colligi potest. *Gilbert* quidem: Die Fragm. p. 435 ex Coeliano: „ante signum Jovis Statoris" Flaminium ab ipsa Roma profectum esse demonstrat, sed quomodo plusquamperfectum „movisset" et locutionem „castra movere," quae nullo modo ad profectionem ab ipsa Roma quadrat, interpretemur? Id unum certum est Coelium et Livium de loco dissentire.

At in prodigiis quoque descriptis scriptores nostri discrepant. Jam primum enim Livius duo prodigia esse facta memoriae prodit, Coelius tria. Nam de tripudio ne verbum quidem apud Livium invenitur, sed milites duplici tantum prodigio perterriti sunt. (XXII, 3. 14). Deinde apud Coelium de Flaminii ferocia, qua incitatus ocius signa convelli iubet, nihil traditum reperimus, sed signum proficiscendi multo post datur. Denique in eis, quae de signo quod convelli nequibat, tradunt, inter se dissentiunt. Nam apud Coelium non reperiuntur verba, quae Flaminius nuntio dixit: num litteras quoque ab senatu adfers, quae me rem gerere vetent? (cf. XXI, 63. 12). Praeterea Coelius prodigium illud non plane narravit, sed his verbis finem fecit: Flaminius re nuntiata suo more neglexit. Contra apud Livium consul nuntium dicere iubet effodiant signum, si ad convellendum manus prae metu obtorpuerint, id quod Livius non de suo addidisse videtur.

Omnino autem duarum narrationum tenor prorsus est diversus (cf. *O. Gilbert:* die fr. p. 435). Apud Livium Flaminius signa convelli iubet. Itaque cum consul in equum insiluisset signumque convulsurus esset signifer, et consul effunditur et signifer signum convellere nequit,

Ambo igitur prodigia a iussu proficiscendi originem ducunt et aptissime inter se cohaerent. At Coelius illa prodigia ab tertio illo de tripudio plane seiungit. Nam cum Flaminius quasi fortuito ascendisset equum, primum prodigium accidit. Cui addidit Coelius alterum de tripudio. Postremo proficiscendi signo dato tertium fit prodigium.

Sed non solum in rebus, verum etiam in verbis exstant discrepantiae. Namque Livius quasi consulto omne Coelii verbum vitasse videtur. Pro „exercitu lustrato cum signa movisset et contra Hannibalem legiones duceret et ipse et equus eius ante signum Jovis Statoris sine causa repente concidit“ Livius dicit: cum ocius signa convelli iuberet et ipse in equum insiluisset, equus repente corruit consulemque lapsum super caput effudit; verba Coelii: „nec eam rem habuit religionem“ frustra apud Livium quaeres; pro „obiecto signo *ut peritis videbatur* ne committeret proelium“ Livius: *Territis omnibus qui circa erant* velut foedo omine incipiendae rei. Denique pro „quo tempore cum signifer primi astati signum non posset movere loco nec quicquam proficeretur“ Livius scribit: insuper nuntiatur, signum omni vi moliente signifero convelli nequire. Verba „plures cum accederent“ desunt apud Livium.

Ex multis igitur argumentis hoc loco Coelium non fuisse Livii fontem satis elucet.

Atque idem de terrae motu ad lacum Trasumennum in XXII, 5. 8 dici potest.

Jam primum nemo erit, quin statim intellegat Livium terrae motum attulisse, ut quantus ardor animorum, quam intentus pugnae animus fuisset doceret. Coelius contra (apud Cic. de div. I, 35. 78) terrae motus ob eam solam causam commemorat, quod prodigia sunt. Deinde ex Coelio non apparet, num ipso loco quo pugnatum erat, terra mota sit, sed hoc unum perspicuum est tum ipsum cum calamitosum illud proelium committeretur, terrae motus factos esse. Tum Coelius variorum terrae motuum in variis regionibus mentionem facit, cum Livius unum memora-

verit motum, qui totam concusserit Italiam. Postremo quae de damno Livius profert, quod terrae motus intulit, et in rebus et in verbis ab Coelio abhorrent. Nam pro „ut multa oppida corruerint" Livius ponit: qui (motus) multarum urbium Italiae magnas partes prostravit; pro universis verbis: multis locis labes factae sint, terraeque desiderint Livius singillatim: montes lapsu ingenti proruit; pro „in amnes mare influxerit" Livius scribit: mare fluminibus invexit.

Denique Coeliana verba: flumina in contrarias partes fluxerint i. e. adverso flumine plane differunt a Livianis: avertit cursu rapidos amnes i. e. amnes in altero fluxerunt alveo. Atque velut consulto omnis Coeliana vox a Livio vitata esse videtur.

Terrae motus etiam Zonaras VIII, 25 p. 189, Plutarchus in v. Fabii c. 3, Plinius 2, 84, 200 mentionem faciunt.

Jam primum Zonaras de motibus (τῶν σεισμῶν), Plutarchus de uno, Plinius de maxumo motu, dum Poeni et Romani ad Trasumennum lacum dimicant, dicunt. Tum tres scriptores omnes ut Livius milites motum non sensisse tradunt. Deinde Zonaras Etruriam solam nominat, quae terrae tremoribus concussa sit; Plutarchus autem et Plinius terram non afferunt. Denique in eis, quae de damno motibus illato memorant, Zonaras et Plutarchus propius accedunt ad Livium quam ad Coelium; Plinius nihil de ea re memoriae prodit.

Ex his omnibus rebus satis intellegi potest narrationes trium illorum scriptorum omnibus fere partibus cum Livio congruere atque omnino fere a Coelio distare. Quis autem fons et illorum et Livii fuerit, in medio relinquamus.

Ad extremum afferre nobis liceat ex eo, quod Livius cum Coelio[1]) consentiens tris ferme horas ad lacum Trasumennum pugnatum esse (6. 1) commemoravit[2]), illum ex

---

[1]) Itaque tribus iis horis concisus exercitus atque ipse (Flaminius) interfectus est.

[2]) Polybius temporis mentionem non fecit.

huius historiis hausisse hunc locum non temere colligi posse.

Fragm. 21. In cap. 31. 8 l. XXII Livius de Fabii dictatura haec scripsit: Omnium prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt; Coelius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit. Hic igitur Fabium et fuisse et a populo creatum esse dictatorem putavit. Deinde insequentibus verbis Titus falsam Coelii aliorumque sententiam refellit simulque quo modo error ille exortus sit docet: sed et Coelium et ceteros fugit uni consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia aberat, ius fuisse dicendi dictatoris; quam moram quia exspectare territa tertia iam clade civitas non poterat, eo decursum est, ut a populo crearetur qui pro dictatore esset; res inde gestas gloriamque insignem ducis et augentes titulum imaginis posteros, ut, qui pro dictatore creatus esset, dictator fuisse crederetur, facile obtinuisse. Sententiam illam Coelii a Livio probatam non esse nemo non intelleget.

Ut autem ad id, quo tendimus, perveniamus, nobis is locus cum Liv. verbis in cap. 8. 5 comparandus est. Namque rationem quandam inter duos locos intercedere, quis est qui neget? Romani in summo periculo versantur; itaque ad remedium iam diu neque desideratum nec adhibitum, dictatorem dicendum, civitas confugit. et quia et consul aberat, a quo uno dici posse videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuntium aut litteras mitti, nec dictatorem populus creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat, dictatorem (haec lectio codd.) populus creavit Q. Fabium Maximum et magistrum equitum M. Minucium Rufum.

Illum locum prorsus sensu carere nemo non intelleget. Quare iam in editione Ascensiana a. 1513 ignotus homo scripsit: prodictatorem populus creavit cet. Atque hanc lectionem esse rectam satis apparet ex toto huius loci contextu comparato cum verbis cap. 31. 8, ut *O. Gilbert:*

Die Fr. p. 443 sqq. firmissimis demonstravit argumentis[1]).

Quod si rectum est, fieri non potuit, ut Livius caput 8. 5 ex Coelio peteret; immo secutus est auctorem, qui Fabium prodictatorem fuisse memoriae prodidit.

Sed cur Titus hoc loco Coelii errorem non refellit, cum in cap. 31. 8 disertis verbis illum refutet? certe nulla alia ex causa nisi quod in cap. 31 demum alios auctores in his Coelium adiit. Inde autem summo iure colligi potest quidquid Livius inter capita 8 et 31 tradiderit, non ex Coelio fluxisse.

Atque cum hac sententia optime consentiunt verba Liviana in XXII, 25. 10: quas ob res, si antiquus animus plebei Romanae esset, audaciter se laturum fuisse de abrogando Q. Fabi imperio; cf. *Weissenborn* in alt. ed. p. 179: Die Drohung würde ganz gegen die röm. Ansicht von der Magistratur verstossen, wenn nicht Fabius nur prodictator und auf ungewöhnliche Weise gewählt gewesen wäre.

Neque mirum est, quod Livius omnibus narrationis locis Fabium dictatorem, non prodictatorem nominavit. Namque non solum omnes rerum scriptores et fasti, sed etiam auctor ipse, ex quo Titus in 8. 5 hausit, illum simpliciter dictatorem appellavit; cf. de ea re *O. Gilbert:* Die fragm. p. 448.

Fragm. 28. Livius in cap. 11. 8 l. XXVI populationis templi Feroniae mentionem facit in eaque re controversiam in medium profert: huius populatio templi haud dubia inter scriptores est (11. 10). Coelius Romam euntem ab Ereto devertisse eo Hannibalem tradit, iterque eius ab

---

1) *Madwig* p. 286 sqq. coniecturam illam improbat et lectione cod. Puteani: „nec dictatorem populo creare poterat" nixus audacius quam ignotus ille homo scribit: nec dictatorem populo non consulto senatus creare poterat — dictatorem populus creavit. Sed causae a *Madvigio* ad coniecturam „prodictatorem etc." loco movendam prolatae non satis graves esse mihi videntur. *Wölfflin*: nec dictatorem praetor creare poterat — dictatorem cet. — *Weissenborn* in alt. ed. et *Hertz*: prodictatorem.

Reate Cutiliisque et ab Amiterno orditur: ex Campania in Samnium, inde in Paelignos pervenisse praeterque oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse, inde Albensi agro in Marsos, hinc Amiternum Forulosque vicum venisse. neque ibi error est, quod tanti ducis tantique exercitus vestigia intra tam brevis aevi memoriam potuerint confundi — isse enim ea constat —, tantum id interest, veneritne eo itinere ad urbem, an ab urbe in Campaniam redierit.

Ex his verbis satis elucet Hannibalem secundum Coelium ingressum esse hoc iter: Poenus Volturnum transgressus per Samnites praeter Teanum, Venafrum, Aeserniam, Aufidenam in Paelignos pervenit, deinde praeter oppidum Sulmonem in Marrucinos transiit, tum per Marrucinos in Paelignorum fines rediit, inde Albensi ad Fucinum agro in Marsos, hinc (via Claudia Nova) Amiternum, Forulos, Cutilias, Reate venit, tum via Salaria Romam petens Eretum pervenit; at inde devertit in Etruriam ibique templum diripuit. Denique viam Flaminiam ingressus iter Romam direxit.

Videamus nunc qua via Hannibal secundum Liv. narrationem Romam petierit, num Romam proficiscens, ut est apud Coelium, Feroniae templum spoliaverit.

Hannibal Vulturnum transgressus praeter Cales in agrum Sidicinum pervenit. ibi diem unum populando moratus per Suessanum Allifanumque et Casinatem agrum via Latina ducit. Sub Casino biduo stativa habita et passim populationes factae. (9. 2). inde praeter Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum (9. 3). perpopulato agro Fregellano per Frusinatem Ferentinatemque et Anagninum agrum in Labicanum venit (9. 11) inde Algido Tusculum petiit, nec receptus moenibus infra Tusculum dextrorsus Gabios descendit. inde in Pupiniam exercitu demisso octo milia passuum ab Roma posuit castra (9. 12). inter haec Hannibal ad Anienem fluvium tria milia passuum ab urbe castra admovit. ibi stativis positis ipse cum duobus milibus equitum ad portam Collinam usque ad Herculis templum

est progressus (10. 3). postero die transgressus Anienem in aciem omnis copias eduxit (11. 1); imber et tempestas bis certamen diremerunt (11. 2). tum tribus causis (cf. § 3—6) motus ad Tutiam fluvium castra rettulit, sex milia passuum ab urbe. inde ad lucum Feroniae pergit ire, templum ea tempestate inclutum divitiis (11. 8). omnibus donis tum spoliatum templum (11. 9).

Neque Livius memorat Hannibalem iterum Romam petiisse, sed (per Samnium Apuliamque) et Lucanos in Bruttium agrum ad fretum ac Regium eo cursu contendit, ut prope repentino adventu incautos (Romanos, qui Capuam obsidebant) oppresserit (12. 2). — Livius igitur Poenum in itinere ab urbe facto templum populantem facit.

Quamquam scriptores nostri, ut vidimus, aperte pugnant, tamen *Friedersdorff* Livium ex Coelio illud iter hausisse vult. Is enim in progr. Marienburg. 1874 p. 12 Titum hoc loco Coelium suo arbitrio correxisse putat. Coelium quidem memoriae prodidisse Hannibalem Romam euntem templum spoliasse; Livium autem, cum apud alios scriptores legisset Poenum Roma proficiscentem fanum populatum esse, in hac re plures auctores secutum esse neque tamen narrationem ex alio nisi ex Coelio hausisse. Qua ratione cum cetera, quae Coelius de itinere Romam facto tradidisset, loco suo mota essent, Livium in eam opinionem discessisse, ut Coelius iter in urbem Romam factum permutaret itinere ab urbe facto, ob eamque causam Hannibalem urbes, praeter quas secundum Coelium Roma profectus esset, in itinere Romam facto praetergredientem, eas autem, praeter quas secundum Coelium Romam petiisset, in itinere ab urbe facto transeuntem fecisse. Quod ex verbis Liv. in cap. 11. 3 apparere videri: isse ea constat, tantum id interest, veneritne eo itinere ad urbem, an ab urbe in Campaniam redierit.

Sed illud non recte iudicatum esse mihi videtur. Namque non erat, quod Fulvius celerrime iter ad patriam defendendam faceret (9. 4 sqq.), cum Hannibal, si *Friedersdorff*

dorffi coniecturam sequimur, secundum Coelium iam iter ab urbe ingressus a consilio Romam petendi destitisset multaque millia passuum Roma abfuisset. Neque minus fuit vanus terror, quem Fregellanus nuntius attulit Romanis (9. 6 sqq.). — Denique maximae Romanorum fuit stultitiae in monte Albano atque arce Aefulana (9. 9) praesidia, circa portas Collinam Esquilinamque (10. 2) ad orientem urbis spectantes castra ponere, cum secundum Coelium Poenus a templo Feroniae, quod in septentriones spectat, viam Flaminiam ingressus Romam peteret ob eamque causam certe ad portam Flaminiam veniret.

Apparet igitur ex iis omnibus, quae Livius inde a cap. 9. 4—10. 2 narravit, hunc usum non esse Coelio.

Fragm. 40. Quomodo P. Cornelius Scipio copias in Africam traiecerit et exposuerit, a Coelio ad incredibilem elatum est admirationem: Prosperam navigationem sine terrore ac tumultu fuisse permultis Graecis Latinisque auctoribus credidi. Coelius unus, praeterquam quod non mersas fluctibus naves, ceteros omnis caelestis maritimosque terrores, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum cursum exponit, et prope obrutis navibus iniussu imperatoris scaphis, haud secus quam naufragos, milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse (XXIX, 27. 14 sqq.).

Livium hanc sententiam neque probasse neque secutum esse iam ex eis verbis, quae Coel. fr. antecedunt, manifestum est.

Et profecto Livius in cap. 27 navigationem sine terrore ac tumultu fuisse memoriae prodit. Namque milites, quamquam nebula per duos deinceps dies et calligo meridiem et noctem obtinuerat, tamen nullo modo sunt perterriti. Praeterea Scipio praecepta dat, quae nullum metum, nullam perturbationem nullamque temeritatem prae se ferunt.

Denique Livius nihil de caelestibus maritimisque terroribus, nihil de tempestate, nihil de militibus, qui iniussu imperatoris in scaphis sine armis cum ingenti tumultu in

terram evasissent, tradidit. Hoc igitur luce clarius est Livium insolentem illam narrationem de traiectione in capite 27 secutum non esse. *Kessler* (p. 27) Coelii fragmentum 41 [1]) cum Livio XXIX, 27. 13 et 28. 1 [2]) comparans Coelium duas narrationes et veram et fictam memoriae prodidisse Liviumque illas contaminasse censet. Sed ut statim hoc commemoremus, veri simillimum esse putamus Nonium qui hoc fr. affert, narrationem Coelianam contraxisse, ita ut ex eo non temere nimium colligere liceat. Eo igitur, quod Livius diversas illas Coeli narrationes contaminaverit, nixus *Kessler* Coeliana vestigia in cap. 25. 12 animadvertisse vult, cum dicat: Auctor est Livius in cap. 25 lib. XXIX Scipionem gubernatoribus ut Emporia peterent, edixisse; at idem Livius in cap. 27 ad promunturium Pulchrum in terram escensum esse autumat nulla causa addita, cur res exitum non habuerit. Alterum exemplum idem locus praebet, quo Coelius abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum aegre inde correxisse cursum tradit; quo autem cursum direxerit e cap. 25 patet, in quo Emporia tetendisse Scipionem Livius exponit. At mire discrepat Livius in cap. 27 ad promunturium Pulchrum classem appulisse narrans.

Idem ex Coelio etiam Livianam narrationem in XXX, 24. 5 sqq. fluxisse iudicat: Percurrentes enim, ut ait, Livi caput 24 libri XXX statim recordamur Octavio secundum Livium (XXX, 24. 5 sqq.) accidisse idem, quod Coelius apud Livium (XXIX, 27) Scipioni in Africam traicienti accidisse prodit. Verumtamen argumenta illa, quippe quae in coniectura posita sint, non satis gravia esse mihi videntur, ut ex iis Coelium ipsum a Livio in usum vocatum esse confirmari possit.

---

[1]) Nonius s. v. metari p. 137 Coelius annal. libro VI: Omnes simul terram cum classi accedunt, navibus atque scaphis egrediuntur, castra metati signa statuunt.

[2]) Eo classis decurrit, copiaeque omnes in terram expositae sunt. Expositis copiis Romani castra in proximis tumulis metantur.

Ad extremum *Nitzschi* sententiam paucis verbis commemorare mihi liceat. Is enim in libro: Die röm. Annalistik p. 21 Coeliana fr. (39 et 40) ex poëta (Ennio) manasse putat. Sed iam *H. Peter* illud in dubium vocat p. CCXXIII A. 3: At etsi saepe poëtice vel rhetorice res ab eo exornatas esse concedo, tamen poëtarum usus nullum vestigium apud eum repperi.

Contra *O Gilbert*: Die Fragm. etc. p. 390 sqq. ex comparatione Enni versus: „Africa terribili tremit horrida terra tumultu“ cum Coelianis verbis: „cum ingenti tumultu in terram evasisse“ Coelium hoc loco ex Ennio hausisse concludit. Idem Ennianum: „Deque totondit agros laetos atque oppida cepit“ cum Livio XXIX, 35. 4: „non agris modo, sed quacunque incedebat, populatis, sed urbibus etiam quibusdam vicisque expugnatis, late fuso terrore belli in castra redit“ componit atque inde, praesertim cum paulo ante (35. 2) Livius citaverit Coelium, Livium Coelio, Coelium autem Ennio fortasse usum esse efficit. Sed *Gilbert* ipse rem in dubio relinquit. Nam et ab Ennio et a Livio res gestae, quae apud omnes auctores similibus verbis exstant, traduntur neque Liviana verba poëtae cuiusdam usus vestigia prae se ferunt. An fortasse permirum est Scipionem agros devastasse, urbes vicosque cepisse? Neque ob eam causam Livium e Coelio hausisse hac ratione demonstrare licet. — Item *Sieglin* p. 56 Coelium imitatum esse Thucydidem suspicatus complures locos Liv. cum Thucydide comparat. Sed quid obstat, quominus Livium ipsum Thucydidem imitatum esse statuamus, id quod etiam Sallustius fecit, cuius multos locos enumerare possum, quibus similia atque apud Thucydidem continentur.

F r a g m. 42. Duos eodem nomine Carthaginiensium duces duobus equestribus proeliis interfectos non omnes auctores sunt, veriti, credo, ne falleret bis relata eadem res; Coelius quidem et Valerius captum Hannonem tradunt (Liv. XXIX, 35. 2).

Jam ex verborum nexu certum aliquid colligi potest. Nam ex eo, quod Coelius et Valerius unum Hannonem

captum esse tradunt, etiam unum proelium equestre secundum illos commissum esse concludi potest.

Accedit gravissimum illud, quod uterque scriptor iuxta auctores, qui duo proelia facta negant, a Livio nominatur. Sensus igitur loci hic est: Alii auctores sunt duos duces duobus equestribus proeliis interfectos, alii unum proelium commissum, Coelius et Valerius unum ducem uno proelio captum (non occisum) esse. — Jam quaeritur, quos auctores Livius secutus sit.

In XXIX, 29, 1 paucis verbis commemoratur equites Scipionis cum Carthaginiensibus manus conseruisse et inter fugientes praefectum quoque Hannonem, nobilem iuvenem, occisum esse. Pro occiso Carthaginienses ala equitum cum praefecto amissa, alio equitatu per novum dilectum comparato, Hannonem, Hamilcaris filium, praeficiunt (34. 1). Qui numerum militum auget (5) et Salaecam urbem occupat (6). Deinde Scipionis iussu a Masinissa ad pugnam elicitur (8 sqq.) et cum mille fere militibus interclusus interficitur (15). Livius igitur unum ex iis auctoribus secutus est, qui duos eodem nomine Carthaginiensium duces duobus equestribus proeliis interfectos esse tradunt. — Praeter Coelium et Valerium etiam Dio Cassius fr. 57, 66 et Appianus Lib. 14 Hannonem captum (non occisum) esse memorant.

Illa sunt fragmenta Coeliana, quae prorsus a fama Liviana discrepant.

Venimus nunc ad fr. 39, unde Livium Coelio usum esse nullo modo demonstrari potest. Livius in cap. 25. 1 sqq. libri XXIX rerum scriptores in afferendo militum numero, quos P. Cornelius Scipio in Africam traiecit, valde variare his verbis memoriae prodit: Quantum militum in Africam transportatum sit, non parvo numero inter auctores discrepat. alibi decem milia peditum, duo milia et ducentos equites, alibi sedecim milia peditum, mille et sescentos equites, alibi parte plus dimidia rem auctam, quinque et triginta milia peditum equitumque in naves imposita (invenio). quidam non adiecere numerum, inter quos me ipse

in re dubia poni malim. Coelius ut abstinet numero, ita ad inmensum multitudinis speciem auget: volucres ad terram delapsas clamore militum ait tantamque multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium aut in Italia aut in Sicilia relinqui videretur.

Jam ex ipso verborum tenore Tito narrationem exornatam poëtarum more probatam non esse optimo iure concludere nobis licet. Neque eis, quae apud Livium in cap. 24. 10[1]) scripta sunt, statuere cogimur Livium hoc loco Coeli historiis usum esse. Nam etsi omnia Scipionis iussu confluxerunt, ille tamen idoneos tantum (cf. 24. 13) elegit; omnes ceterae copiae in Sicilia remanserunt; cf. 26.8: legiones, quae in Sicilia relinquebantur, ad prosequendos commilitones processerant; nec classis modo prospectantibus e terra, sed terra etiam omnis circa referta turba spectaculo navigantibus erat. Quapropter nemo erit, qui dicat Livium in fama de Scipionis apparatibus relata quidquam hausisse ex Coelio.

His fr. addenda sunt tria (29, 33, 44), quorum argumento Livium usum non esse probari potest.

Fragm. 29. In describenda Marcelli morte (Liv. XXVII, 27) multa cum Polybio (X, 32) consentiunt, alia ab hoc scriptore abhorrent. Quapropter *G. Michael* in libro, quem supra commemoravimus, p. 72 Livianam illam narrationem, praesertim cum Livius extremo capite 27 (§ 13) citasset Coelium, qui triplicem rei gestae memoriam edidisset, ex Coelio manasse voluit. Sed ex eo, quod auctor aliquis a Livio citatur, colligi non posse mihi videtur Livium auctore illo (etiam hoc loco) usum esse; immo vero certis argumentis me confirmaturum esse spero Coelium hoc loco non esse fontem Livi.

Livius tres narrationes de morte Marcelli apud Coelium repperit, quarum unam tradiderat fama. Coelius

---

[1]) quidquid militum naviumque in Sicilia erat, cum Lilybaeum convenisset, et nec urbs multitudinem hominum neque portus naves caperet, tantus omnibus ardor erat in Africam traiciendi, ut non ad bellum duci viderentur, sed ad certa victoriae praemia.

igitur in hac prima famam secutus est. Quomodo autem fama narraverit Marcelli mortem, non difficile dictu esse arbitror. Namque luce clarius est Marcellum, gladium illum populi Romani, qui per complures annos imperium obtinebat, qui Syracusas urbem expugnaverat, denique imperatorem, in quo Romani summam collocabant fiduciam, fama quasi in coelum elatum esse. Et certe eadem fama huius tam magni tamque praeclari ducis mortem omnibus rebus egregiis exornavit lectisque verborum coloribus depinxit. Quid vero scriptum est apud Livium?

Marcellus explorandi causa malis prodigiis, ne contra hostem proficiscatur, admonitus (26. 13) tamen dimicandi cupiditate inflammatus e castris egreditur et in hostium insidias incidit (c. 27 sqq.). Postquam vulneratos ambo consules, Marcellum etiam transfixum lancea prolabentem ex equo moribundum videre, tum Romani cum Crispino consule et Marcello adulescente saucio et ipso effugerunt (27. 7). Ex his verbis nemo non intelleget Livianum illud non fama traditum esse. Atque multo etiam maioris momenti sunt verba in § 11: mors Marcelli cum alioqui miserabilis fuit, tum quod nec pro aetate — iam enim maior sexaginta annis erat — neque pro veteris prudentia ducis tam improvide se conlegamque et prope totam rem publicam in praeceps dederat.

Ex iisdem causis alteram etiam Coeli narrationem scriptam laudatione fili, qui rei gestae interfuerit, Livi fontem fuisse negari potest. Nam etsi Marcellus adulescens in hac laudatione a se scripta fugam celare non potuit, certe tamen, quam disertissimis verbis poterat, de eo, quod moribundum patrem reliquisset, se excusare studuit, causam addens, cur illum servare non potuerit, neque simplicissimis, quae apud Livium (27. 7) exstant, verbis rem memoriae prodere satis habuit.

Denique secundum Livium Coelius tertiam, quam ipse pro inquisita et sibi comperta adfert, narrationem in historiis suis memoravit.

Atque ex verbo „comperta“ iure concludere licet, Coelium in hac tertia narratione describenda non scriptorem secutum esse, sed rebus ab se auditis („sibi comperta“) usum in eas inquisivisse („inquisita“), praesertim cum ex aliis etiam fr. velut 50, 56 nonnulla auditu comperta illum literis mandasse appareat. Quapropter haec tertia narratio haud valde diversa fuisse videtur ab prima illa fama tradita neque certe opprobria illa, quae apud Livium inveniuntur, complexa est.

Fragm. 33. Livius in cap. 46. 14 l. XXVIII haec narrat: Eisdem diebus naves onerariae Poenorum ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octavio, qui provinciae praeerat, captae. eas Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, Valerius praedam Etruscam Ligurumque Montanorum captivos Carthaginem portantis captas tradit.

Jam primum illud manifestum est Coelium et Valerium Antiatem plane diversae famae auctores esse. Namque secundum illum naves frumento commeatuque onustae ad Hannibalem, qui in Bruttiis moratur, mittuntur. At Valerius Antias illas naves praedam Etruscam Ligurumque Montanorum Carthaginem portantes missas esse scribit. Atque cum ex paucis verbis Coel. nihil colligi possit, videamus numquid ex Valerio concludere nobis liceat.

Secundum Livium Mago, Hamilcaris filius, aestate anni 205 triginta ferme rostratis navibus et multis onerariis duodecim milia peditum, duo ferme equitum in Italiam traiecit (46. 7) Genuamque cepit; inde ad oram Ligurum Alpinorum classem appulit (8). Ingauni — Ligurum ea gens erat — bellum ea tempestate gerebant cum Epanteriis Montanis (9). societate cum Ingaunis, quorum gratiam malebat, composita Montanos instituit oppugnare. et crescebat exercitus in dies, ad famam nominis eius Gallis undique confluentibus. — Neminem fugiet Valerium Antiatem in eo, quod Ligurum Montanorum captivos commemorat, cum Liviana narratione consentire, quippe cum Mago (Epan-

terios) Montanos oppugnare instituisset (11) et certe quosdam caperet. Praeterea veri simile est Magonem Montanis victis etiam septentrionalem Etruriae partem depopulatum esse (Valerius: praeda Etrusca). Quare quominus Livium famam illam ex Valerio hausisse sumamus nihil obstat.

At *Th. Friedrich* p. 22 et 33 sqq. aliis argumentis Livium in cap. 46 ex Valerio nihil hausisse confirmare vult. Dicit enim in cap. 46. 10 l. XXVIII a Livio eandem esse narratam rem, quae in cap. 19. 5 l. XXX. Cum autem in libro XXX Valerium Antiatem Livi fontem fuisse constaret, cf. *Nitzsch*: die röm. Annalistik p. 17, cumque Livius in c. 46. 14 l. XXVIII Coelium et Valerium citasset, fieri non potuisse, quin caput 46 l. XXVIII ex Coelio manaret.

Contemplemur igitur, num res ita se habeat. Poenus decem longis navibus in statione prope Savonem ad praesidium praedae relictis, ceteris Carthaginem missis ad tuendam maritumam oram, quia fama erat Scipionem traiecturum, ipse Montanos instituit oppugnare (XXVIII, 46. 10). Mago igitur, ut satis apparet ex illis verbis, maiorem navium longarum partem (viginti ferme) cum maioribus copiis in Africam misit, minorem (decem) cum minoribus copiis in Italia retinuit. Has autem minores copias in cap. 19 libri XXX ille in naves imposuit. Nam Poenus cum in agro Insubrum Gallorum a P. Quintilio Varo praetore et M. Cornelio proconsule victus et vulneratus esset (XXX, 18), cumque legati ab Carthagine adiissent iubentes primo quoque tempore in Africam traicere (19. 2), impositis copiis in naves (decem illas naves longas) profectus, vixdum superata Sardinia ex vulnere moritur (19. 5).

Ex locis comparatis ea, quae in cap. 46 l. XXVIII et in cap. 19 l. XXX narrantur, optime inter se respondere, neque eandem rem bis a Livio esse relatam intellegitur. Quare non habemus, quod Livium caput 46 libri XXVIII ex Valerio Antiate hausisse negemus.

Ad extremum paucis Livianam narrationem cum Appiano comparemus. Primum Livius nomen praefecti Sardiniae affert (Cn. Octavium), Appianus dicit nil nisi: ὁ τῆς

Σαρδόνος στρατηγός. Deinde ille ad octoginta naves captas esse tradit, hic viginti depressas esse, sexaginta captas: καὶ ὁ τῆς Σαρδόνος στρατηγὸς ἐπιπλεύσας μακραῖς ναυσὶν κατέδυσε μὲν αὐτῶν εἴκοσιν, ἑξήκοντα δ᾽ ἔλαβεν. Tum Appiani fama multo accuratior est quam Livi, cum ille afferat, quot naves provectae (ἑκατόν), quo modo circa Sardiniam delatae sint: οὐδενὸς δ᾽ ἐρετικοῦ παραπέμποντος αὐτὰς ἄνεμος ἐς Σαρδόνα κατήνεγκεν. Denique, si antea recte iudicavimus, Livius (Valerius) Magonem naves praedam Etruscam Ligurumque Montanorum captivos Carthaginem portantes misisse narrat, Appianus (cf. Coelium) illas frumento, copiis, pecunia onustas Carthagine exiisse. Inde apparet Livium et Appianum plane diversam famam secutos esse. Coelius autem, qui naves ad Hannibalem missas esse tradit, in eo ipso cum Appiano Hannib. 54 consentit. Quapropter si ex paucis verbis Coeli aliquid concludere licet, ille et Appianus hunc locum ex eodem fonte hausisse videntur.

Fragm. 44. Non s. v. congenuclare p. 89 Coelius annali lib. VII: Ipse regis eminus equo ferit pectus adversum, congenuclat percussus, deiecit dominum.

Quamquam hoc fr. recte in narrationem Liv. XXX, 12. 1: „Ibi Syphax equo graviter icto effusus opprimitur capiturque" cadere videtur, tamen sententia *Sieglini* p. 9, qui verba fragmenti paene immutata reperiri putat apud App. Lib. 26 Liviumque mihi probari non potest. Nam praeter verbum „equo", deiecit dominum — ἀπεσείσατο τὸν δεσπότην nullam verborum similitudinem reperiri arbitror. — Praeterea nobis fr. accuratius perspicientibus ex verbo „ipse" efficiendum est Coelium antea eum nominasse, qui Syphacis equum percussit. Contra Livius simpliciter dicit: „equo graviter icto" ob eamque rem haud facile ante oculos habuisse videtur fontem, in quo eius, qui equi percussi auctor erat, nomen exstabat; namque tam gravia Titum commemoraturum fuisse puto.

Quis autem ille „ipse" fuerit, de ea re docti non consentiunt. *H. Peter* p. 160 C. Rutilium fuisse putat; quam

sententiam iure *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 457 in dubium vocat et Masinissam illum fuisse censet. Quodsi recte iudicatum est, fieri non potuit, ut Livius illum locum ex Coelio hauriret propter verba: et vivus, laetum ante omnis Masinissae praebiturus spectaculum, ad Laelium pertrahitur. Namque Livius, si Coelium secutus esset, certe Masinissam ipsum cepisse Syphacem gloriantem fecisset.

Deinceps, ut erat propositum, dicatur de iis fragmentis, quae cum narratione Liv. consentiunt vel ut rectius dicamus non aperte pugnant cum Livio. Sunt autem omnino sex (22, 25, 26, 41, 45, 55), quorum de uno (41) iam supra sub fr. 40 nos recte iudicasse putamus.

Fragm. 22. Priscian III p. 607 P. 98 H. Coelius in primo historiarum: Dextimos in dextris scuta iubet habere. — Quae verba a *C. Peter* p. 80 aliisque referuntur ad Livium XXII, 50. 4, qui post pugnam Cannensem Romanos medios per hostes vadentes ex castris minoribus ad alios in maiora fugisse tradit: et, cum in latus dextrum, quod patebat, Numidae iacularentur, translatis in dextrum scutis in maiora castra ad sexcentos evaserunt (50. 12). Scriptores nostros similia referre quis est qui neget?

Verumtamen Coelius rem multo accuratius quam Livius describit. Nam ex Prisciano ipso apparet formam „dextimos“ notionem superlativi servasse, etsi illae formae saepe ad positivi significationem, ut *Sieglin* p. 18 recte dicit, prope accedant. Secundum Coelium igitur ii, qui dextimi positi sunt, scuta in dextra habent, secundum Livium omnes scuta in dextrum transferunt. Habemus igitur similitudinem, non plenum utriusque famae consensum. Verbis Livianis (50. 12) haec proxime antecedunt: Haec ubi dicta dedit, stringit gladium cuneoque facto per medios vadit hostis.

Illa verba poëtae (Enni) versus esse per se ipsum liquet. Sed Livium ex Coelio, qui secundum Frontonem epist. p. 62 Nab. poëta illo usus sit, hos versus hausisse

firmis probari non potest argumentis; cf. etiam ea, quae iam supra diximus sub fr. 40 ex.

Fragm. 25. Gell. X, 24. 6 Suppetit etiam Coelianum illud ex libro historiarum secundo: Si vis mihi equitatum dare et ipse cum cetero exercitu me sequi, die quinti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta. — Idem tradit Livius in XXII, 51. 2: Maharbal die quinto, inquit, victor in Capitolio epulaberis. sequere: cum equite, ut prius venisse quam venturum sciant, praecedam.

Quamquam uterque scriptor eadem memoriae prodit, tamen non habemus, quod fieri non potuisse quin Livius fabellam illam ex Coelio hauriret statuamus. Namque fabellas eius generis unus auctor ex altero hauriebat atque ex annalium scriptoribus aetate postremis, quos Livius secutus est, certe ille aut ille Coelium adiit.

Fragm. 26: Priscian VI p. 678 P. 198 H. Coelius: Nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam brevi spatio datas arbitror quam vobis. *Meltzer* p. 35, *H. Peter* p. 154, *Weissenborn* in ed. Coeliana illa Livium ante oculos habuisse statuerunt, cum scriberet: pro his tantis totque victoriis verum esse grates deis immortalibus agi haberique (XXIII, 11. 12). Attamen iam *O. Gilbert*: die Fragm. p. 449 discrepantias quasdam commemoravit. Jam primum enim Coelius oratione directa, Livius obliqua utitur, deinde ille in universum de multis victoriis, quae nulli nationi tam brevi tempore quam Carthaginiensi datae sint, dicit, hic: aequum esse pro his victoriis grates deis immortalibus agi (verborum contextus apud utrumque scriptorem certe diversus fuit), denique apud illum figuram rhetoricam „tot, tantas, tam — tam“ reperimus, apud hunc „tantis tot“, quam insolitam verborum collocationem esse neminem fugit; cf. reliqua apud *Gilbertum*.

Fragm. 45: Non. s. v. soluerit p. 508 Coelius annali lib. VII: Duos et septuaginta lictoris domum deportavisse fascis, qui ductoribus hostium ante soluerint ferri.

Nauta p. 46, quem secuti sunt alii, hoc fr. cum narratione Liv. XXX, 28. 7 coniunxit Liviumque ibi a Coelio

deprompsisse putavit. — Locus apud Livium hic est: non esse hodie tot fasces magistratibus populi Romani, quot captos ex caede imperatorum prae se ferre posset Hannibal. Antea enim Titus tradit Romanos, quamquam Poenus ex Italia decessisset, tamen in metu fuisse, quod ille incolumi exercitu in Africam transiisset; tum Scipioni cum Hannibale ipso pugnandum esse. Sequuntur deinde laudes Hannibalis eiusque exercitus, inter quas etiam Liv. illa verba reperiuntur. Contra fr. Coelianum, ut ex verbis: qui ductoribus hostium ante soluerint ferri apparet, ex oratione Carthaginiensis cuiusdam (fortasse ipsius Hannibalis) sumptum esse videtur.

Praeterea cur Livius, si re vera Coelium hoc loco in usum vocavit, duos et septuaginta fasces non scripsit? nisi forte putamus Titum narrationem suam secundum Coelium mutasse computantem, quot fasces magistratibus illius actatis fuerint et ita duobus consulibus duodenos, quattuor vel sex praetoribus, si duas Hispanias adnumerabis, senos, omnino sexaginta attribuentem ad hanc sententiam pervenisse: non esse hodie tot fasces (60) magistratibus populi Romani, quot captos (72) ex caede imperatorum prae se ferre posset Hannibal. Habemus igitur etiam his locis similitudinem, non consensum famae.

Fragm. 55: Serv. ad Aen. IV, 206 Coelius: Maurusii, qui iuxta Oceanum colunt.

Quod fr. apud Coelium fortasse eundem, quem apud Livium (XXIV, 49, 5), locum obtinuit: Syphax in Maurusios — extremi prope Oceanum adversus Gadis colunt — refugit. Quapropter *Nauta* p. 38, *Weissenborn* in ed., *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 464 illuc fr. referunt. Ceterum ex paucis verbis nihil certi concludi potest, cf. *C. Peter* p. 81, *H. Peter* p. 163. Itaque nimium in illa re *G. Michael* p. 39 et *Meltzer* p. 26 egredi mihi videntur putantes Livium non horum verborum tantummodo, sed totius narrationis illius fontem Coeli opus ante oculos habuisse.

Atque aliis quoque locis eadem de Maurusiis dicere potuit Coelius, ut apud Livium XXI, 22. 3 (Mauri, accolae

Oceani) vel in XXIII, 26. 11 vel in Africae regionibus describendis, ad quam rem Coelio data est occasio traiectione copiarum Scipionis in Africam facta. Sine dubio autem fr. ad bellum Hannibalicum quadrat.

Restat, ut pauca dicamus de iis fr. Coel., quae apud Livium non exstant.

Fragm. 1 (Cic. orat. 69, 229) et 2 (Priscian VIII p. 792 P. p. 383 H.) ex prooemio Coeliano belli Punici secundi sumpta sunt.

Fragm. 3: Priscian XIII p. 960 P. II p. 8 H. Caelius in I: Neque ipsi eos alii modi esse atque Amilcar dixit, ostendere possunt aliter.

Haec verba quamquam a doctis ad varios locos relata sunt, tamen iam propter nomen „Amilcar" ad bellum Hann. pertinent. *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 405, ut alios omittam, hoc fr. ad orationem a Fabio in senatu Romano habitam refert.

Fragm. 4: Priscian XIII p. 960 P. 8 H. Caelius in I: Antequam Barcha perierat, alii rei causa in Africam missus.

Quaeritur, quis sit ille in Africam missus. *Nauta* p. 21, *Fr. Lachmann* de font. II p. 34, *Weissenborn* in ed., *Böttcher* p. 440, *Meltzer* p. 17, *Sieglin* p. 21 illum fuisse Hannibalem putant. Sed *Wölfflin* (Antiochus p. 46) illorum sententiam refellens fr. recte ad Hasdrubalem rettulit. Atque cum hac opinione etiam verba Diodori 25, 14 *Bekker* optime consentiunt: Ἀσδρούβας δὲ ὁ γαμβρὸς Ἁμίλκου, πεμφθεὶς παρὰ τοῦ κηδεστοῦ εἰς Καρχηδόνα εἰς πόλεμον τῶν Νομάδων (alii rei causa) ἐπαναστάντων Καρχηδονίοις κατέκοψεν ὀκτακισχιλίους, ζωγρίας δὲ ἔλαβεν δισχιλίους, οἱ δὲ λοιποὶ ἐδουλώθησαν φόρους τελέσοντες.

Quod *Sieglin* p. 21 in dubium vocat; namque si ille fuisset Hasdrubal, Coelium in primo libro multo longius repetiturum fuisse quam Livium et Dionem; illud autem fieri non potuisse. — At *Sieglin* errasse mihi videtur; nam cum Livius et Dio totam rerum Romanarum historiam

scripserint, Coelius minimam eius partem, bellum Pun. secundum, fieri non potuit, quin Coelius altius repeteret quam illi.

Fragm. 5: Non s. v. bellosus p. 80 Coelius: Tantum bellum suscitare conari adversarios contra bellosum genus.

Quod fr. cum pauca verba contineat, non facile est explicatu. Jam primum multi docti illud referendum esse putant ad Livium XXI, 10. 3: obtestans ne Romanum cum Saguntino suscitarent bellum. Quodsi recte iudicatum est, secundum Coelium Hanno oratione improbat adversarios i. e. partes Barcinas tantum bellum suscitare conari contra bellosum genus Romanorum. Similiter apud Livium Hanno per deos senatum Carthaginiensem obtestatur, ne Romanum cum Saguntino suscitent bellum. Attamen nemo erit, qui ex uno verbo „suscitare“ Livium hanc orationem ex Coelio hausisse temere colligat. Praeterea autem maxime dubitamus, an Liv. illa verba delenda sint. *Wölfflin* quidem firmis argumentis, quae in ed. krit. Anhang p. 131 profert, nixus uncis illa inclusit.

Alia etiam ratione hoc fr. explicatum est. *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 402 ad orationem a Fabio in senatu Romano habitam illud refert. Denique *Sieglin* p. 9 haud spernenda profert argumenta, quibus fr. 5 non Coelio, sed Caecilio poëtae attribuendum esse confirmat.

Neque ex fragm. 6 certi quidquam colligi potest: Priscian X p. 886 P. 510 H. Caelius in I: Qui cum is ita foedus icistis.

H. Peter p. 148 in ea, quam iam commemoravimus, oratione etiam illa verba Hannonem dicere potuisse censet. *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 404 cum oratione Fabi coniunxit illud fr. *Wölfflin* (Antiochus et in editione) et *Sieglin* p. 21 in orationem ab Hasdrubale quodam in senatu Carthaginiensi habitam illud cadere putant (Liv. XXI, 18. 10): Vos enim, quod C. Lutatius consul primo nobiscum foedus fecit (sic *Weissenborn* in ed. alt. et *Hertz*; *Wölfflin* et *Madwig*: icit), negastis vos eo teneri. (etiam paulo infra *Wölfflin* et *Madwig* legunt: quod nobis insciis icit.)

Quare *Wölfflin*, praesertim cum forma perfecti „icit" a Livio hoc loco primum adhibita sit, Titum Coeliana illa: qui cum is ita foedus icistis ante oculos habuisse censet. Sed omnium codicum lectio est: iecit[1]), quamobrem in *Weissenborni* et *Hertzi* editionibus fecit reperitur. Praeterea apud Coelium, si recte fr. relatum est, ei, qui foedus ineunt, Carthaginienses sunt, apud Livium duobus locis Romani (C. Lutatius). — Sed ut lectio „icit" recta sit, tamen nemo ex hoc uno verbo Livium ex Coelio hausisse efficiet.

Fragm. 7: Non s. v. poteratur p. 508 Caelius annali libro I: Cum iure sine periculo bellum geri poteratur. Quae verba in bellum Pun. primum cadunt atque aptissime ad orationem ab Hannone in senatu Carth. habitam (Liv. XXI, 10. 9) a *Sieglino* (p. 13) relata sunt.

Fragm. 8: Priscian VIII p. 801 P. 399 H. Caelius in I: Qui intelligunt quae fiant, dissentiuntur. — Quod fr. ad varios locos est revocatum. Jam primum *Sieglin* (p. 20) ex oratione Hannonis illud sumptum esse putat, coll. Livi XXI, 4. 1 verbis: pauci ac ferme optimus quisque Hannoni adsentiebantur. Atque illud recte iudicatum esset, si optimus quisque i. e. optimates vel nobiles Carthaginiensium significaret Coeliana illa: qui intelligunt i. e. prudentes. Deinde *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 403 ad orationem Fabianam verba revocat. Denique *Posner* (p. 43) cum dicat verba fortasse ad Hannibalis in Saguntinos iniuriam pertinere, ad orationem a Carthaginiensi quodam inter Sagunti obsidionem habitam refert.

Fragm. 13: Plin. n. h. III 132 Alpis in longitudinem deciens centena milia passuum patere a supero mari ad inferum Caelius tradit.

Quid aptius est, quam statuere hoc fr. ex fama Coel. de Hannibalis per Alpes transitu a Plinio haustum esse?

Fragm. 15: Charis. II p. 182 P. 203 K. Coelius historiarum I: duodeciens C (centena) milia passuum longe.

---

[1]) *Wölfflin* et *Madwig* „e" inditum esse putant ad vocalis mensuram significandam.

Hic fere, ut ait *H. Peter* p. 150, fuit milium passuum numerus itineris, quod confecit Hannibal a Carthagine nova usque ad Padi campos. Minorem numerum affert Polybius III, 39. 11: ὥστ' εἶναι τοὺς πάντας ἐκ Καινῆς πόλεως σταδίους περὶ ἐνακισχιλίους (i. e. decies centena centum viginti quinque milia passuum) οὓς ἔδει διελθεῖν αὐτόν.

Fragm. 16: (Macrobii) Excerpt. Bob. de verbo ap. *Eichenf.* et *Endl.* in annal. p. 173, V p. 651 K. Coelius in primo: „Illis facilius est bellum tractare", hoc est diu trahere.

Quod fr. melius quadrat ad orationem Carthaginiensis cuiusdam de Romanorum opibus et virtute ante bellum Pun. II exponentis habitam, quam ad Liv. verba (XXI, 44. 8): illis timidis et ignavis esse licet, qui respectum habent, quos sua terra, suus ager per tuta ac pacata itinera fugientes accipient. (cf. *H. Peter* p. 151). Nam praeterquam quod verba Coeliana frustra apud Livium quaeres, Hannibal, ut militum fortitudinem accendat, diversam conditionem suorum militum et Romanorum ante oculos illorum ponit, cum dicit: illis (Romanis) timidis et ignavis esse licet, quia victi fugere possunt, vobis necesse est fortibus viris esse, quod in hostium terra fugiendi facultas vobis pulsis data non est. Omnino autem verba Coel: „bellum tractare" ad hunc locum Livianum nullo modo quadrant.

Fragm. 23: Non s. v. singulatim p. 176 Coelius annali lib. I: Primum malo publico gratias singulatim nomina.

Quae verba etsi corrupta esse videntur, tamen fortasse ad gratias, quae nobilibus viris, qui ex pugna ad Cannas facta (malo publico) evaserant, imprimis Varroni consuli redeunti actae sunt, quod de re publica non desperasset (Liv. XXII, 61. 15), referri possunt. (cf. *H. Peter* p. 154, *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 368).

Fragm. 24: Charis. II p. 193 P. 217 K. Coelius historiarum I: „Commodum est, satis videtur". Nec enim pro sufficienti inquit Paulus accipi debet, sed pro pari et aequo.

O. Gilbert: Die Fragm. p. 405 recte interpretatus est: Et utile et aequum est (videtur).

Quod fr. in certum locum revocare propterea dificillimum est, quod talia verba multis locis dici poterant. Verumtamen ex oratione quadam primis belli Pun. II annis habita illud fr. sumptum esse veri simile est.

Fragm. 30: Nonius s. v. dubitatim p. 98 Coelius annali libro III: Imperator conclamat de medio, ut velites in sinistro cornu removeantur, Gallis non dubitatim inmittantur.

Quod fr. quamquam referunt *H. Peter* p. 156 et *O. Gilbert*: die Fragm. p. 369 sqq. ad pugnam prope Senam commissam, quam Livius in XXVII, 48 memoriae prodidit, tamen difficillimum est certum aliquid proferre, cum illud ad quamlibet fere pugnam belli Punici secundi referri possit (cf. Liv. XXIII, 24, XXVII, 12. 15, XXVII, 42). cf. etiam *Sieglin* p. 11.

Fragm. 31: Serv. ad Verg. Georg. I, 77 Coelius libro tertio seri avenam ostendit.

O. Gilbert: Die Fragm. p. 388 sqq. haec verba ex descriptione agri Gallici, quam Coelius narrationi suae de adventu Hasdrubalis in Italiam intexuerit, hausta esse putat. Sed tertius liber Coelianus mea quidem sententia non usque ad annum 207 a. Chr. pertinere potuit. Melius ille liber annis 214—213 respondet et fr. fortasse cadit in narrationes cuiuspiam (Capuae) urbium his annis obsessarum.

Fragm. 32: Priscian IX p. 869 P. 484 H. Caelius in IV: Custodibus discessis multi interficiuntur.

Verba fragmenti certe ex narratione urbis oppugnatae sumpta sunt, fortasse (si sequimur *Sieglinum* p. 21) Tarenti (Liv. XXV, 9. 15) anno 212, cuius anni res gestas in quarto libro a Coelio traditas esse veri simillimum est.

Fragm. 34: Cic. de div. I, 24. 48: Hannibalem Coelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Junonis Laciniae, auferre vellet, dubitaretque utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebravisse, cumque solidam invenisset, statuisse tollere; ei secundum quietem visam esse Junonem praedicere, ne id faceret, minarique

si fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret; idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, baculam curasse faciendam et eam in summa columna collocavisse.

Nauta p. 53, quem alii secuti sunt, ex eo, quod Liv. XXIV, 3. 6 diserte auream illam columnam commemoravit solidamque fuisse addidit, hanc Coeli narrationem illum ante oculos habuisse conclusit. Quod *Nautam* nimis temere collegisse arbitror. Immo vero ex silentio Livi, quo narrationem illam Cic. praetermittit, contraria efficere licet, praesertim cum altero etiam loco (XXVIII, 46. 16) Junonis Laciniae templum commemoretur et ne minimum quidem huius fr. vestigium exstet.

Fragm. 35: Scholia Leidensia ad Verg. Georg. II, 197 Saturi] locus iuxta Tarentum, quem Caelius in V libro historiarum dicit nomen accepisse a Satura puella, quam Neptunus compressit. — Quamquam Saturi oppidum in omnibus, quas scriptores de bello Hann. tradiderunt, descriptionibus omnino non memoratur, tamen fieri potuit, ut Coelius illius oppidi, quod in agro Tarentino erat, narrans Tarentum a Romanis anno 209 obsessum et recuperatum esse (Liv. XXVII, 15—16) paucis verbis mentionem faceret. Praeterea expugnationem Tarenti, id quod iam *Meltzer* p. 22 recte intellexit, hoc fere libro (5) contentam fuisse ex tota materiae distributione facile colligitur.

Fragm. 36: Priscian VIII p. 827 P. 432 H. Caelius in V: Morbosum factum, ut ea quae oportuerint facta non sint.

Locus difficilis est ad explicandum propter verba „morbosum factum", quae diversum in modum docti interpretati sunt; cf. *Nauta* p. 38, *Groen v. Prinsterer* p. 56, *Meltzer* p. 22. Optime mihi probatur *Sieglini* interpretatio (p. 20): „malum et funestum esse (item *Nauta* et *Groen*) ut" sqq. Atque ille refert apte fr. ad crebra opprobria a plebe Romana nobilibus dicta propter bellum segniter et ignave gestum.

Fragm. 37: Priscian. VI p. 694 P. 226 H. Caelius in V: Nullius alius rei nisi amicitiae eorum causa. — Ut fr. 36, ita verba huius fr. in multos narrationis belli Hann. locos referri possunt; cf. *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 372, *Sieglin* p. 18.

Fragm. 38: Non s. v. finis fem. p. 205 Caelius annali libro V: Ad aliquam huic bello finem facere.

Certe haec verba ad querelas de diuturnitate belli Hannibalici pertinent; cf. *Friedersdorff*: progr. p. 19, *Meltzer* p. 22, *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 372, *Sieglin* p. 13 (Liv. XXVII, 9. 5 anno 209).

Fragm. 43: Non. s. v. pauciens p. 157 Coelius annali libro VI: Consulto non pauciens arcessitum.

Nautam et *Sieglinum* (p. 12) secuti haec verba ex oratione Scipionis (Liv. XXIX, 24. 5) ante navigationem in Africam apud milites contionantis deprompta esse putamus.

Fragm. 47: Fest. s. v. topper p. 352 M. Sic Coelius l. VII: Ita uti, sese quisque vobis studeat aemulari in statu fortunae reip., eadem re gesta, topper nihilo minore negotio acto gratia minor esset.

Meltzer p. 24 totum locum sumptum esse putat ex oratione cuiusdam, qui ingratum erga viros bene de se meritos animum populo Romano vel Carthaginiensi vel aliis opprobraret. *Gilbert*: Die Fragm. p. 459 sqq. ad actiones senatus Romani de pacis condicionibus revocat. Denique *Sieglin* p. 41 ut confirmet sententiam Coelium praeter bellum Pun. II alterum etiam opus scripsisse, verba ad pugnam inter patres et plebem (anno 500—300 a. Chr.) referenda esse censet.

Sed verborum sensus tam obscurus locusque tam corruptus est, ut vix certi quidquam inde colligi possit.

Fragm. 48: Philarygr. ad Verg. Georg. II 345 Coelius in VII: Consuetudine uxoris, indulgitate liberum. — Optime haec verba referri posse arbitror ad Hannibalis in Africam redeuntis milites, qui per longissimum tempus consuetudine uxorum (fortasse apud Coelium erat: consue-

tudine uxoris quisque), indulgitate i. e. amore liberorum caruerant.

Fragm. 49 et 50: Cic. de div. I, 26, 55 et 56 duo somnia ex Coelio hausta commemorat. Atque de ea re rectissime iudicat *H. Peter* (p. CCXVI), cum dicit: duo somnia, unum T. Latinii ex anno 490/264 (fr. 49), alterum C. Gracchi (fr. 50), ut fuit Coelius perstudiosus somnia (cf. fr. 11, 34), portenta, alia miracula inserendi facile per digressionem, ut quae bello Hannibalico somnia visa essent, confirmaret, proferre potuit.

Fragm. 51: Plin. n. h. XXXI, 21 Caelius apud nos (tradit) in Averno etiam folia subsidere.

Coelio multis operis sui de bello Pun. II locis occasionem paucis miraculum illud commemorandi oblatam esse quis est qui non intellegat? cf. *Meltzer* p. 34, *H. Peter* p. 162.

Fragm. 52: Serv. Aen. X 145 Coeliusque Troianum Capyn condidisse Capuam tradidit eumque Aeneae fuisse sobrinum.

Coelium occasione bello Hann. saepissime data originem Capuae urbis, ut doctus literisque eruditus videretur, paucis narrasse nemo negabit. cf. fr. 35.

Fragm. 53: Serv. ad Aen. III, 402 Hic illa ducis Meliboei parva Philoctetae subnixa Petelia muro] Nam, ait Cato, a Philoctete condita iam pridem civitate murum tantum factum. alii „subnixam" ideo accipiunt, quia imposita est excelso muro, ut Coelius historicus ait.

Quamquam Peteliae oppidi munimenta a nullo belli Hann. scriptore commemorantur, tamen fieri potuit, ut Coelius illorum paucis mentionem faceret. Livius enim (XXIII, 30. 1) Peteliam aliquot post mensibus quam coepta oppugnari esset ab Himilcone praefecto Hannibalis expugnatam esse tradit. Et fortasse Coelius urbem murosque ante obsidionem firmata esse narrans pauca de munimentis addidit; cf. Liv. XXIII, 20. 9: tenuerunt optimates (Petelini), ut urbem ac muros firmarent.

Fragm. 54: Serv. ad Aen. VI, 9 Coelius enim de Cumano Apolline ait: Est in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes XV.

Facile in Cumarum urbis obsidione narranda (Liv. XXIII, 35—37) aut alio belli Hannibalici loco mirum illud Coelius commemorare potuit; cf. fr. 34, quo de statua Junonis Laciniae ille exposuit.

Fragm. 56: Plin. n. h. II, 169 Praeterea Nepos Cornelius auctor est, Eudoxum quendam sua aetate, cum Lathyrum regem fugeret, Arabico sinu egressum, Gadis usque pervectum, multoque ante eum Coelius Antipater vidisse se, qui navigasset ex Hispania in Aethiopiam commerci gratia.

Fortasse Antipater, postquam Scipionem in Africam traiecisse memoriae prodidit, occasione data de Africae situ ac natura exponens (cf. fr. 55) auctorem narrationis suae mercatorem, qui ex Hispania in Aethiopiam navigaverat, citavit.

Fragm. 57: Non s. v. pedetemtim p. 29 Caelius annali: ipse cum cetera copia pedetemtim sequitur.

Licet haec verba ad Polyb. XIV, 3 referre: αὐτὸς δὲ (Scipio) τὴν λοιπὴν στρατιὰν ἀναλαβὼν ἐποιεῖτο τὴν ὁρμὴν ἐπὶ τὸν Ἀσδρούβαν. ἦν δὲ αὐτῷ συλλελογισμένον μὴ πρότερον ἐγχειρεῖν, ἕως ἂν οἱ περὶ τὸν Λαίλιον πρῶτοι τὸ πῦρ ἐμβάλωσι τοῖς πολεμίοις. οὗτος μὲν τοιαύτας ἔχων ἐπινοίας βάδην ἐποιεῖτο τὴν πορείαν. Etiam Livius XXX, 5. 4 sqq. hanc rem a Polybio traditam narrat, sed minus accurate, neque apud eum verba illa Coeliana exstant.

Fragm. 58: Serv. ad Aen. IV 390 Caelius historiarum: Delinquere frumentum, Sardiniam hostes tenere. — Suo iure haec verba revocavit *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 406 ad bellum a militibus mercennariis contra Carthaginienses (241—238) gestum; neque mirum est, quod Coelius illius belli in opere suo de bello Pun. II mentionem fecit; cf. ea, quae iam supra sub fr. 4 diximus. Hoc fr. igitur Servius ex libro I Coeliano sumpsisse videtur.

Fragm. 61: Incert. de dub. nom. ap. *Haupt* Ovid Halieut. p. 99, 10 *Keil* V p. 590 Salientes aquarum generis masculini, ut Coelius „Perpetuum salientem.“

Haec verba ex oratione a Caelio Rufo de aquis habita fluxisse veri simile est; cf. *H. Peter* p. CCXXXIII.

Fragm. 62: Priscian VIII p. 793 P. 386 H. Lucius Caelius: Ubi senatus intellexit populum depeculari.

Jam *Meltzer* p. 25 dicit fortasse hoc fr. referendum esse ad fraudem illam a M. Postumio Pyrgensi aliisque publicanis perpetratam, de quo exponit Liv. XXV, c. 3. 8 — c. 4.

Fragm. 63 et 64 lacunis ita corrupta sunt, ut nihil inde colligi possit.

Duo loci a Solino I, 7 p. 7 M. et II, 28 p. 42 M. traduntur, quos *Krause* dubitanter in Coel. fragmentorum numerum refert; unum *Sieglin* p. 32 L. Coelio Antipatro attribuit, sed iure iam *H. Peter* p. CCXXXVI ex librorum auctoritate Cn. Gellio reddidit; alterum addicit *Mommsen* C. Caelio, *Meltzer* p. 38 et *H. Peter* Cn. Gellio, *Gilbert*: Die Fragm. p. 384 sqq., quem sequitur *Sieglin* p. 32 L. Coelio Antipatro, quamobrem hoc in dubio est ponendum. Certum ex duobus locis apud Quintilianum I, 5, 61 et I, 6, 42, quos *Sieglin* p. 34 sqq. dubitanter in Coel. fr. numero posuit, colligi potest.

Duo enim loci nemini nisi M. Coelio Rufo oratori attribui possunt. Jam primum hic saepius a Quintiliano citatur, L. Coelius Antipater nusquam. Deinde Quintilianus Coelium cum Messala, Cicerone, Calvo oratoribus commemorat. Denique, ut ait *Meltzer* p. 37, „parricidatum“ si apud Coelium Antipatrum Quintilianus legisset, vix credo tam intolerabile esse ei visum, quod sane videri debebat in Coelio Rufo Ciceronis discipulo; et locutionem „Pelia cincinnatus“ ad comicorum analogiam fictam illum quidem nunquam, hunc in orationibus suis saepissime usurpare potuisse quisque videt.

Jam vero septem restant fr. (10, 19, 27, 46, 59, 60, 65), e quibus propter pauca verba Livium usum esse Coelio omnino non colligi potest.

Ut omittam fr. 10 et 60[1]) paucis reliqua commemorabo.

Fragm. 19: Cic. de deor. nat. II, 3. 8: C. Flaminium Coelius religione neglecta cecidisse apud Trasumenum scribit cum magno rei publicae vulnere.

Quamquam Livius multis locis (praecipue XXI, 63. 6 sqq. XXII, 1. 5 sqq. 3. 11 sqq; cf. etiam fr. 20, quo similia verba exstant: magna cum clade rei publicae) Flaminium religionis fuisse neglegentem memoriae prodit, tamen nemo erit, qui ex his tam communibus verbis certi quidquam efficere conetur. Praeterea iam supra sub fr. 20 me recte demonstrasse puto illas ipsas narrationis Liv. partes ex Coelio non fluxisse.

Fragm. 27: Charis. I p. 40 P. 54 K. Nucerum enim Coelius dixit. — *Nauta* p. 35 suspicatus est hic esse cogitandum de nucibus illis in narranda Casilini oppugnatione a Liv. XXIII, 19. 12 commemoratis.

Fragm. 46: Non. s. v. exfundare p. 108 Coelius Antipater lib. VII: Resp. amisso exfundato pulcherrimo oppido.

Pro „amisso" *Meltzer* p. 23 haud scio an recte „amissa" posuerit. Quae verba rettulit *O. Gilbert*: Die Fragm. p. 459 ad orationem a Romano quodam, qui non summam severitatem in Carthaginienses adhibendam esse censet, in senatu post bellum confectum de pacis conditionibus habitam. Melius fortasse quadrant, id quod etiam *O. Gilbert* affert, ad orationem ab Hasdrubale coram Scipione habitam coll. Appiani Lib. 52 verbis: οὐδ' εὐκλεὲς οὐδὲ συμφέρον ἐς τὴν ἀρχὴν ὑμῖν ἐστι, πόλιν τοσήνδε καθαιρεῖν μᾶλλον ἢ περισώζειν. Optimam autem interpretationem huius fr. praebet *Sieglin* p. 12, qui secundum cod. Laurent. lib. IIII legit atque verba ad Syracusas deletas revocat coll. Liv.

[1]) fr. 10 Charis. I p. 115 P. 143 K. „Saguntinorum" Coelius, Saguntium Sallustius, ut Paulus in Coelii historia libro I notat.

fr. 60. Charis. II p. 195 P. 220 K. „Subinde" Nepos de illustribus viris II, sed et Brutus et Coelius frequenter eo usi sunt.

verbis: urbem pulcherrimam ac nobilissimam perisse cet. (XXVI, 32. 3).

Fragm. 59: Gell. X, 1, 3 „Tertio" et „quarto consul" non „tertium quartum" que, idque in principio libri Caelium scribsisse.

Quod fr. cadit in annum 214, quo Q. Fabius Maximus quartum M. Claudius Marcellus tertium consulatum inierunt (Liv. XXIV, 9. 7). Post „libri" igitur III excidit (cf. *Sieglin* p. 51).

Fragm. 65: Flav. Cap. de orthogr. p. 2243 P. Calva κράνιον vocatur, licet Caelius et Varro calvariam dicant.

H. Peter rell. p. CCXXXIV hoc fr. Gellio tribuit, quoniam eandem calvariae formam Charisius duobus locis et Priscianus ex Gellio notaverunt, ex his autem scriptoribus Flavium Caprum vel quisquis illa de orthographia conscripsit, sua hausisse veri simile est.

Contra *Meltzer* p. 27 et *Sieglin* p. 23 lectionem „Coelius" retinentes Antipatrum hac locutione usum esse putaverunt, cum narraret cladem L. Postumii consulis designati anno 216, cuius interfecti calvam purgatam auroque caelatam Boi tamquam sacrum vas in sanctissimo templo collocaverunt; cf. Liv. XXIII, 24. 12.

In commemorandis fr., quae apud Livium non exstant, id potissimum docere voluimus omnia[1]) praeter 63 et 64, ex quibus nihil efficere licet, ad bellum Hannibalicum referri posse.

Contra *Sieglin* ut iam vidimus multa in bellum Pun. II cadere negans ad alterum opus Coelianum rettulit. Ad sententiam illam probandam attulit haec argumenta:

Jam primum digressionibus Coelianorum fr. nititur; nam haud facile quisquam, ut ait ille (p. 39), credet 17 vel 19 fr. esse digressiones. Sed mea quidem sententia ex 60 fr. quae Coelio certe addici possunt, non 17, sed 8 (fr.

---

[1]) multa quidem fr. ad varios locos propter pauca verba possunt revocari.

31, 35, 49, 50, 51, 52, 53, 54) digressiones sunt; incerta enim annumerare non licet. Neque mirum est digressiones illas apud Coelium reperiri. Namque eae sunt profectae ex consilio, quod Antipater in opere describendo secutus est. Ut enim ex multis fr. (11, 20, 25, 34, 39, 40) apparet, Coelius studiosissimus fuit somnia, fabellas, portenta, alia mira incredibiliaque narrationi suae intexendi. Facillime igitur fieri potuit, ut paucis de situ ac natura regionum, in quibus bellum gestum est, de origine et munimentis urbium aliisque exponeret. Praeterea si *Sieglin* ipse (p. 41) somnium C. Gracchi a Coelio ad somnium T. Latinii confirmandum narratum esse putat, eodem iure haec duo somnia ab Antipatro, ut quae bello Hann. somnia visa essent, confirmaret, commemorata esse statuere possumus.

Deinde *Sieglin* p. 40, ut sententiam comprobet, dicit apud Nonium, Gellium, Charisium, Priscianum ea tantum fr. esse, quae in bellum Hann. incidant, apud Servium, Plinium, Solinum, Strabonem, quae ad illud bellum non pertineant. Contra opinionem illam fr. 13, quod a Plinio n. h. III, 132 traditur, optime in bellum Pun. II quadrare contendi potest. Idem de aliis fr. (51 et 56) dicere licet; cf. ea, quae supra exposuimus. Apud Servium autem ii loci, qui ad ipsum bellum Hann. pertinent, propterea non reperiuntur, quod illi ad Vergilium interpretandum ei opus non erant. Atque tria fr. a Solino et Strabone[1]) tradita maxime sunt dubia.

Tum *Sieglin* ex loco epistolarum ad Atticum 13, 8 quo Cicero scripsit, ut Atticus sibi epitomen Bruti Coelianorum Tusculum mitteret, Coelium duo opera confecisse colligit. At vero supplendum est non „operum“, ut *Sieglin* putat, sed „librorum“. Sunt autem septem libri de bello Pun. secundo.

Denique ille hoc argumentum profert: Ex Cic. or. 69, 229 Coelium opus de bello Hann. Laelio dedicasse ap-

[1]) 5, 3, 3 p. 230 non legendum est ὅ γε Κοίλιος, sed ὅ γ' Ἀκίλιος *(Schwegler)*.

paret; atqui ex libro de div. I, 26, 56 Antipatrum opus hoc loco a Cicerone commemoratum post C. Gracchi mortem (anno 121) scripsisse, ex loco autem de amicitia 27, 104 Laelium paulo post Scipionis mortem circa a. 128 mortuum esse comperimus. Ergo Coeli bellum Punicum non idem opus est, in quo ille bellum contra Latinos gestum et C. Gracchi mortem narravit.

Attamen ex libro de am. 27, 104 (Et si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium: diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum) non certe colligi potest Laelium uno anno post Scipionis mortem (a. 129) decessisse.

Cf. etiam censuras *Sieglini* libelli, Philol. Anzeig. 1880 p. 384—400.

His omnibus igitur argumentis commoti L. Coelium Antipatrum praeter bellum Pun. II alterum opus scripsisse negamus. — Accedit gravissimum illud quod nec Plutarchus, ut recte dicit *Meltzer* p. 12, nec id quod utique fieri debebat, Dionysius Halicarnassensis ullo loco tamquam antiquitatis Romanae scriptorem Coelium nominaverunt.

Jam satis mihi verba fecisse videor de ratione, quae inter fr. Coeliana et T. Livi narrationem intercedat. Occurrerunt nobis, ut omnia paucis complectamur, **11** fr. (9, 11, 12, 14, 17, 18, 20, 21, 28, 40, 42), quae ab eis, quae Livius de eadem re gesta memoriae prodidit, prorsus discrepant, unum (39), unde nemini demonstrare licet Livium e Coelio hausisse, **3** (29, 33, 44), quorum argumento Livium usum non esse probari potuit, **37** (vel 46, si incerta annumerabis), quae apud Livium non exstant[1]), denique **6** (22, 25, 26, 41, 45, 55), quae non aperte cum fama Liviana pugnant. De his 6, ut mihi proposueram, paucis dicam.

Jam primum fr. 22, 26, 45 quamquam similia ac Livius continent, in nonnullis tamen rebus, ut supra demonstravi-

---

[1]) in his sunt septem illa fr., e quibus propter pauca verba nihil colligi potest.

mus, plus minusve a narratione Liviana dissentiunt. Tum ea, quae de reliquis (25, 41, 55) exposuimus, recte dicta esse nobis videntur. Denique quod gravissimum de similitudine inter illa fr. et T. Livi famam intercedente dici potest, nobis liceat afferre. — Ut ab inquirentibus in rationem, quae inter duos codices intercedat, non ex lectionibus rectis, sed ex falsis, in quibus illi manuscripti congruunt, certum ac verum colligi potest, ita est in quaestione de fontibus duorum rerum scriptorum iudicandis. Nam tum demum, cum duo codd. eandem pravam lectionem praebent, aut unum ex altero aut utrumque ex eodem fluxisse concludere nobis licet. Cum autem et Coelium et Livium iis locis, quibus similia continentur, vera et fida, non falsa et vana memoriae prodidisse viderimus, nemo erit, qui ex his fr. Livium similes illas narrationes ex Coelio hausisse efficiat.

Jam ineunte disputatione inquirentibus nobis, num alter rerum scriptor ex altero hauserit, id potissimum respiciendum esse, ut ea, de quibus uterque memoriae prodidit, accuratissime componantur, ob eamque rem praecipue ex fr. Coelianis cum Livi narratione comparatis argumenta nos sumpturos esse diximus. Ex omnibus autem fr. Coel. ea potissimum, quae maiorem verborum copiam continent ob eamque causam sine dubio ad certam quandam referri possunt rem, nobis de ratione quae inter Livium et Coelium intercedat, disputantibus spectanda esse iam satis intelleximus. Atqui primum 11 fr. Coeliana, quae plerumque (11, 12, 18, 20, 28, 40) maiorem verborum copiam praebent, cum narratione Liv. dissentiunt, 3 fragmentorum argumentum a Livio in usum vocatum non est, tum neque ex 6 fragmentis, quae similia ac Livius continent neque ex 39. fragmento certi quidquam efficere licet, denique maior pars fr. (37 vel 46) non exstat apud

Livium. Ergo statuimus ac iudicamus **a T. Livio in tertia decade L. Coelium Antipatrum auctorem esse non adhibitum.**

Cui iudicio obstant sententiae multorum doctorum, qui variis argumentis nixi Livium ex Coelio hausisse putant. — *Wölfflin* quidem in libro: Antioch. v. Syr. und Coel. Antip., quem secutus est *Friedersdorff* in progr., argumentationis initium ab Hannibalis somnio (Liv. XXI, 22, 6, fr. 11) capiens ex argumentis, quae ad genus dicendi, ad rhetoricam, ad rerum historiam pertinent, has omnes librorum XXI et XXII partes, quae ex Polybio non fluxerint, ad Coelium referendas esse colligit. Nam apud Livium, ut ait ille, multa verba obsoleta et ἅπαξ λεγόμενα reperiuntur aeque atque in fr. Coelianis. Praeterea ex multis Livi narrationibus praecipue ex Sagunto obsesso Titum sua auctori in rhetorum ludis erudito debere apparet; namque pro veris et rectis rebus saepe apud Livium invenias ficta atque vana, „quae verbis superlatis vel inanibus excellunt“ et figuras rhetoricas velut gradationem; cf. Hannibalis transitum per Apenninum Liv. XXI, 58. Denique multae Livianae narrationis partes exstant, quibus „Romanos suo iure suaque ratione egisse, hostes ius gentium foederaque neglexisse aut illiberaliter fecisse“ memoriae proditur, quaeque ob eam causam auctorem Romanum resipiunt.

Sed omnia a *Wölfflino* aliisque prolata non minus in Coelium quam in quemlibet auctorem Romanum quadrant. Nam omnes Romanorum scriptores usque ad Valerium Antiatem verbis obsoletis utebantur, certe plurimi in rhetorum ludis eruditi narrationes rhetorice ornabant, haud dubie multi patriae amore inflammati in popularium gratiam res gestas commutabant.

Aliud a doctis commemoratum argumentum hoc est Coelium saepissime a Livio citatum esse. Inde mea quidem sententia id solum concludi potest Livium hoc ipso loco inspexisse Coelium. Atque si Titus in libris XXI et XXII Coelium quater, Fabium et L. Cincium Alimentum

semel laudavit, sequitur, ut Livius omnium illorum trium scriptorum opera ante oculos habuerit, similiter atque a Livio XXVI, 49. 3 praeter Valerium Antiatem Silenus citatus et ad certum numerum afferendum inspectus est.

Tum *Böttcher* p. 375 Livium Coelio neglecto Silenum adiisse sumi non posse putat, praesertim cum hic historiam suam lingua Graeca scripserit. At contra dici potest Livium in quarta et quinta decade Polybium Graecum adhibuisse auctorem.

Denique ex eo, quod praeclarissimum illud omnibusque numeris absolutum opus Coelianum Livio ad bellum Hannibalicum describendum aptissime oblatum sit (cf. *Böttcher* p. 441), quod Coeli virtutes scribendi egregiae fuerint (*Kessler* p. 26), quod ex Antipatro etiam multi alii rerum scriptores hauserint (*Luterbacher* p. 37), nihil certi effici potest.

Illa igitur sunt argumenta — de duobus paulo post dicere non neglegam — ut docti Livium ex Coelio hausisse putent.

At dixerit quispiam permirum profecto esse Livium, quippe qui Coelium diversis tertiae decadis locis undecies citaverit ob eamque causam egregium illud opus Coelianum satis cognitum habuerit, hunc secutum non esse auctorem. De hac autem re sententiam nostram nobis liceat proferre.

In hac enim opinione sumus Livium tertia decade iam perfecta in opus Coelianum incidisse. Quapropter cum Titus Antipatri historias de bello Pun. II sibi bellum Hannibalicum scribenti haud parvi pretii futuras fuisse intellexisset, libros tertiae decadis iterum perspiciens atque percensens cum opere Coeli comparavit iisque locis, quibus narratio cum Coelio non consenserat, famam Coelianam adnotationibus parvis (quas quidem nos hodie extrema pagina facere solemus) suae addidit, ita ut neglecta repararet compensaretque et quasi quodam modo praetermissa revocaret. Neque vero huic sententiae quidquam obstat; nam ii loci, quibus Livius citavit Coelium, adnotationum, quae postea demum factae sunt, speciem prae se ferunt.

At dicat fortasse quispiam propter veterum volumina longe aliter ac libri nostri instituta fieri non potuisse ut Livius

quidquam ad opus suum iam scriptum adderet. Sit ita, fingamus illud refelli non posse; nonne scriptori nostro licuit libros adnotationibus illis auctos denuo totos exscribere?

Quodsi recte a nobis iudicatum est, habemus, quod Livium quamquam auctoritatem Coeli — id quod *H. Peter* p. CCXXVI aliique qui Livium ex Coelio hausisse putant, ad sententiam confirmandam protulerunt — tanti aestimavit, ut cum ceteros scriptores cum fastidio quodam refellere soleret, de hoc, ubi ab eo recedit, leniter et honorifice loqueretur, tamen hunc non adiisse statuamus.

Praeterea, si hoc tenemus, locus Liv. XXIII, 6. 8, ex quo *G. Michael* p. 14 aliique Livium in narratione sua Coelio potissimum usum esse demonstrare student, facilis est ad explicandum. Nam ex eo, quod Livius narrationem suam (6. 7), quam in quibusdam annalibus invenit, qua scriptum est Romam legatos missos esse a Campanis postulantes, ut alter consul Campanus fieret, pro certo ponere veretur, quia nimis compar Latinorum quondam postulatio erat, Coeliusque et alii id haud sine causa praetermiserant scriptores, apparet quidem Livium auctoritatem Coeli permagni aestimasse, illum ex hoc hausisse non item. Atque veri simillimum est Livium hunc locum iterum perlustrantem et Campanorum postulationem similem esse Latinorum reminiscentem Coelium, qui hanc rem praetermiserat, inspexisse. Cuius auctoritate commotus Titus id pro certo ponere veretur.

Jam vero ad finem disputationis nostrae pervenimus. Satis igitur ex fr. Coelianis cum Livio comparatis hunc in tertia decade Antipatrum non adhibuisse auctorem apparet. Quo autem usus sit Livius auctore Romano, hoc inquirere libelli nostri non fuit propositum. Quapropter perpaucis tantum locis sententiam nostram de ea re protulimus. Verumtamen *O. Gilbertum* in libro: Die Fragm. rectam viam ingressum esse multis locis pro certo habemus.

